DE CLAUDIO AELIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

NONIS JULIIS A. MDCCCLXXIII, HORA X

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

REINHOLDUS SCHOENER

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARII ERUNT:

VOLGANGUS KOERBER, CAND. PHIL.
JOSEPHUS PARTSCH, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
TYPIS F. W. JUNGFERI.
MDCCCLXXIII.


LC Control Number
2003 354732

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

F. G. REINHOLDO SCHOENER

PIO GRATOQUE ANIMO

HUNC LIBELLUM SACRUM ESSE

VOLO.

PROOEMIUM.

Semper id tempus magis aliis alliccre potest ad contemplandum cognoscendumque et majorem praebet notitiam rerum gestarum progressionis, quo pugnent inter se reliquiae veteris temporis et novae aetatis principia. Itaque quum animus moresque temporis e scriptorum operibus cognoscantur, ii potissimum haud minus praebent doctrinae quam voluptatis, qui vita et scriptis ad tales inclinationes rerum temporumque momenta pertinent. Nam conversio status et communium temporum inclinatio, ut valet ad omnium hominum sensus opinionesque, sic maxime fingitur atque exprimitur operibus scriptorum, qui partim inhaerent veteris temporis rebus, partim novis rebus favent. Qua dissensione quum utrique incitentur ad omnes vires intendendas, ut suas de republica moribus divinis rebus sententias defendant, adversariorum refellant, efficitur, ut monumenta litteraeque talis temporis prae aliis et studio digna et voluptatis plena sint.

Hujusmodi erant in Graecorum litteris ea decennia, quae bella Persica secuta sunt et in nostris litteris saeculum sextum decimum, hujusmodi apud Romanos primum et alterum post Christum saeculum. Ut Sophocles Euripides Aristophanes e veteris et novi temporis dissensione intimum operum suorum animum hauserunt, sic Tacitus Persius Juvenalis Lucianus reliquiarum liberae reipublicae cum Caesarum imperii novis rebus pugnam exprimunt.

Notum est et in Graecia et apud Romanos cum maximo vitae cultu summam morum corruptionem conjunctam fuisse. Quo venerint Romani Caesarum temporibus artium litterarum

omnium rerum ad vitae commoditatem elegantiamque pertinentium demonstrant nobis reliquiae in omnibus imperii partibus effossae urbium locupletum, templorum magnificorum, aedificiorum incredibili luxu ornatorum. Pontes viae aquaeductus non minus quam statuae vasa supellectiles ex illo tempore servata testes sunt singularis vitae cultus. Contra virtutibus majorum eodem tempore ita carebant Romani, ut vix umquam apud ullum populum depravatio morum major esset. Animus simplex et contentus, constantia et perseverantia, amor patriae et honoris studium, quae virtutes omnibus Romanis olim decori fuerant, apud paucos reperiebantur; apud omnes fere aviditas luxuria mollities libidines, quae vitia Juvenales et Luciani per acerbum ludibrium et satiricae irrisionis plenam vituperationem opprimere frustra studebant.

Quo factum est, ut plerique alterius saeculi homines docti scriptoresque e vitae actionibus in otium et tranquillitatem litterarum studii philosophiaeque se reciperent. Jam non ea, quae ad rempublicam usumque vitae pertinebant, sed doctrina scholaque curae iis erant. Quum oratio forensis et judicialis magis magisque repressa et denique plane exstincta esset, ejus locum obtinebat ars rhetorica, quae quum verborum ornatu homines ingenio carentes alliceret, in dies pluris existimabatur, ita ut rhetores vel sophistae summis honoribus afficerentur. Quinctilianus Herodes Atticus Favorinus arte sua innumerabiles discipulos circum se collegerunt et famam pecuniamque multam sibi compararunt, quibus rebus perpauci sophistarum erant digni. Plerorumque ars nihil erat nisi vana et putida verborum jactatio, quae et puerorum eruditioni et moribus virorum et artibus litterisque ita nocebat, ut Lucianus nihil antiquius haberet, quam ut omni modo ridiculos et contemptione dignos esse sophistas ostenderet.

Tamen erant, qui non ad victum tantum sibi comparandum arte rhetorica uterentur neque verborum magnificentiam solam petendam esse censerent, sed adhiberent ornate dicendi facultatem ad praecepta bona bona forma edenda. Hi noverant et dolebant corruptionem temporis; quum autem publice dicendo auxilium jam non posse ferri persuasum sibi haberent, veteris boni temporis exemplis descriptis et sibi

ipsis solacium afferre et aequales emendare conati sunt. Inter hos erat Claudius Aelianus cognomine sophista, initio tertii saeculi Romae amplus, de quo hoc opusculo agam.

Cap. I.

De vita et scriptis.

Pauca nobis tradita sunt a veteribus scriptoribus de Aeliani vita. Apud Suidam [1]) nihil nisi hoc reperitur: «Αἰλιανὸς ἀπὸ Πραινεστοῦ τῆς Ἰταλίας, ἀρχιερεὺς καὶ σοφιστής, ὁ χρηματίσας Κλαύδιος· ὃς ἐπεκλήθη μελίγλωσσος ἢ μελίφθογγος καὶ ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ αὐτῇ ἐπὶ τῶν μετὰ Ἀδριανοῦ χρόνων.»

Quo cum nuntio fere consentiunt verba Flavii Philostrati [2]), qui paullo latius Aeliani vitam narrando prosequitur. Hic enim dicit cognomen sophistae ab hominibus doctis ei datum esse, quo nomine tantum afuisse ut dignum se haberet, ut publice dicendo imparem se judicans ad scribendi potius studium se conferret, quo admirationem magnam sibi comparasse. Romae hanc ob rem permagni aestimatum eum fuisse, quia numquam navem conscendisset neque ab Italia discessisset.

Suidae et Philostrati nuntii, praeter quos veteris temporis nulli exstant, in ea re contendere inter se videntur, quod Suidas Praenestinum, Philostratus Romanum nostrum scriptorem appellat.

Quum Suidas non sine certa causa nomen oppidi indicasse putandus sit, Aelianus autem ipse Romanum se esse dicat [3]), sine dubio haec discordia ita tollenda est, ut non natu sed civitate Romanus habeatur Aelianus. Certe diu Romae vivebat, nam et Romae honoratum eum fuisse veterum morum amantem Philostratus dicit, et Pausanias sophista, cujus discipulum idem eum nominat, Romae docuit.

---

[1]) s. v. Αἰλιανός. Tom. I. 2. p. 32 ed. Bernh.
[2]) Flav. Phil. Vitae Sophistarum p. 116. ed. Kayser.
[3]) V. H. II 38. XII 25. XIV 45.

Nec de aetate quidem Aeliani, cui num jure Suidas nomen Claudii attribuerit constituere non possumus, testimonia nobis sunt praeter ea, quae apud Suidam Philostratumque reperiuntur. Philostratus magistrum ejus nominat Pausaniam, discipulum Herodis rhetoris. Hic Herodes, praeceptor eloquentiae primum Athenis dein Romae moratus, ubi anno 141 consul erat et anno 175 mortuus esse videtur, quum aliquanto aetate major esset discipulo, Pausanias Aeliani praeceptor distinguendus est ab illo Pausania, qui «Περιήγησιν Ἑλλάδος» scripsit [1]). Aetate Herodis, cui propter patriam Marathonem cognomen Attico datum est, Pausaniaeque Caesariensis manifestum fit Aelianum haud ante extremum alterum saeculum vixisse. Qua re ipse discernitur ab illo Aeliano, qui Hadriani Imperatoris tempore «Τακτικά» scripsit. Certius testimonium ad aetatem Aeliani constituendam praebet nobis illa Philostrati narratio [2]) de accusatione ab Aeliano in «*Gynnim*» scripta. Narrat enim Aelianum aliquando scriptum quoddam in manu tenentem et irata voce legentem Philostrato Lemnio interroganti, quae res tantopere eum moveret, respondisse se accusationem in Gynnim scripsisse, quo nomine significaverit tyrannum paullo ante imperium obtinentem, propterea quod omnibus libidinibus Urbem maculaverit. Satis constat sub illo nomine Gynnidis occultum esse Imperatorem Elagabalum, qui anno 222 interfectus est, quia cum ejus animo muliebri emollito libidinoso melius convenit hoc nomen, quam cum alio hujus aetatis Imperatore. Nam nec de Septimio nec de Alexandro Severo, hoc homine probo mitique, illo duro et aspero, talibus verbis uti poterat, ut taceam de Antonino philosopho ac Pertinace. Itaque soli Commodus et Caracalla in quaestionem nostram cadere possunt praeter Elagabalum. Nec vero ad Commodum nec ad Caracallam illud cognomen Gynnidis ceteraque Aeliani verba apta sunt. Commodus, vir magno corporis robore animoque audaci et

---

[1]) Hanc rem tam diligenter dilucideque exposuit Siebelis in praef. editionis suae Pausaniae, ut eum sequi non dubitem.

[2]) Aelian. Verm. Nachr. übers. von Wunderlich. Einleit. S. 13.

fero, certe ludis suis gladiatoriis variisque insaniis «*Urbem maculavit,*» sed «*femineus et emollitus*», id quod positum est in nomine Gynnidis, Hercules Romanus appellari non potuit. Caracalla quoque scelestus nefarius crudelis erat, sed animus rei militaris maxime amans haud patitur, ut illud nomen ad eum referamus. Itaque quum quibus verbis Philostratus Aelianum vituperavit, «*quod non vivum sed mortuum tyrannum accusaret,*» post Elagabali mortem haec accusatio scripta esse demonstretur, mors Aeliani non ante annum 223 ponenda est. Post annum 244 non mortuum esse eum ex hac re apparet, quod Philostratus, qui «*Vit. Sophist.*» inter annos 221 et 244 scripsit, mortem Aeliani memorat. Quibus rebus certius quidquam scire non possumus de aetate Aeliani, neque persuaserunt mihi causae, quas attulit C. L. Kayser [1]) ad certos vitae annos probandos.

Cum omnium consensu haec scripta Aeliano tribuuntur:

a) Περὶ ζώων vel Περὶ ζώων ἰδιότητος. 17 libri.

Permultos de natura animalium nuntios memoria dignos in hoc opere Aelianus nobis reliquit. Ut ipse dicit in praefatione et epilogo, nuntios ex omnium superiorum auctorum scriptis, quae praesto ei erant, collectos sine ordine composuit ut variatione delectaret.

Saepe fontes, ex quibus hausit, indicat, saepius tacet, ita ut neque quos secutus sit neque quantum suo judicio res traditas moderatus sit ubique cognoscere possimus. Aristoteles Oppianus Plutarchus pleraque ei praebuerunt, quae partim illorum verbis non mutatis, partim errore vel judicio mutata et saepe laude vel vituperatione aucta refert.

b) Ποικίλη Ἱστορία. 14 libri [2]).

Hae variae historiae eodem modo, quo opus superius, collectae sunt e permultis auctoribus, qui raro nominantur,

---

[1]) Flav. Philostr. Vit. Soph. ed. C. L. Kayser. Heidelb. 1838. praef. p. XXVI seqq., ubi anno 187 natum esse et ante a. 235 mortem occubuisse Aelianum probare conatur.

[2]) Varie inscriptum legimus hoc opus: Suidas s. v. ἀσέλγεια et κάκη dicit «Περὶ τοικίλης ἀφηγήσεως,» Jo. Stobaeus «Ἱστορία» vel «σύμμικτος ἱστορία,» Steph. Byz. «Ἱστορικὴ διάλεξις.»

quamquam saepe eorum verbis utitur Aelianus, ut ex Athenaei Deipnosophistis multa immutata refert. Quum multis locis verba, ut sunt e nexu erepta, initio vel fine recto carentia reperiantur, minus ad legendum, quam ad auctoris usum rhetoricum destinata fuisse haec dicta factaque videntur.

c) Περὶ Προνοίας vel Περὶ θείων ἐναργειῶν. Fragmenta 353.

In hoc opere[1]) quod amissum fragmenta servata acerbius nobis faciunt, ea res scriptae erant, quae animum moresque et nostri scriptoris et temporis illius maxime illustrare possent. Collegit enim Aelianus multa exempla, quibus sententiam suam de rebus divinis probari existimet, quae sententia, ut infra demonstrabo, una parte pertinaci veterum et obsoletarum religionum amplexu, altera parte studio novarum superstitionum inter aequales mire elucet. Optime significari mihi videtur et origo et consilium hujus scripti, si comparatur cum similis animi operibus, quae nos *Traktätlein* vocamus; nam plane eadem est res, quae genuit hos libellos et Aeliani narratiunculas: *Orthodoxie* et *Pietismus*.

Quod quartum opus Aeliano nostro a nonnullis tribuitur, Ἀγροικικαὶ Ἐπιστολαί, mea quidem sententia Aelianeum non est, quia quum sermone verborumque usu, tum animo ac sententiis nimis differt ab illis tribus operibus. Τακτικὰ constat alius esse Aeliani, qui vixit tempore Hadriani Imperatoris.

Cap. II.

De scribendi ratione.[2])

Notum est Aelianum id, quod nobis reliquit, collegisse e permultis et veteris et sui temporis scriptoribus. Ipse in

---

[1]) Mea sententia illa prima inscriptio, qua Suidas opus diversum significat, est partis ejus scripti, quod alteram habet inscriptionem. Vid. not. sequ.

[2]) Quum omnibus ex partibus scriptorem efficturus atque expressurus

praefatione librorum Περὶ Ζώων nonnulla docet de hujus scripti origine fontibus consilio, quae etiam ad cetera scripta recte judicanda haud parvi sunt momenti. Dicit usum se esse scriptoribus primariis et sapientibus («πρώτοις καὶ σοφοῖς,» N. A. prooem.), quum ampli viri et philosophi ante se multi his rebus i. e. naturae animalium studuerint. Quaecunque diligentia cogitatione labore apud hos repererit, nulla ne parva quidem re omissa se comportasse et descripsisse. Interdum etiam quod audivit ex aequalis alicujus ore refert [1]), vel profitetur hanc solam ob causam nuntium afferre, ne ignorare putetur [2]), quum quidquid narretur a se collectum esse velit, etiamsi ipse fidem non habeat rei [3]), quumque consilium suum hoc postulare putet. «*Num taceam,* inquit [4]), *de tauro sacro? Quid nos non vituperaret et hoc scriptum et natura, cujus donum ille est?*» Maxime haec diligentia curaque omnium nuntiorum colligendorum nulliusque rei omittendae necessaria ei esse videtur in Nat. An. Hoc enim opus suscepit non modo ad suam delectationem suumque usum,

---

etiam ad consuetudinem sermonis usumque orationis animum intendissem, opere procedente magis quam pro meo consilio aucta amplitudine hanc operis partem omittendam esse cognovi. Quam ob rem a rebus grammaticis plane recessi et ita in angustum deduxi opusculum, ut solo de animo scriptoris, qualis exprimitur scriptis, disseram, de forma operum nihil dicam nisi quae ad animum recte judicandum necessaria esse videntur. Eandem ob causam, quum ne de scriptis quidem ipsis, quae tribuenda sint Aeliano, quae non sint tribuenda pluribus verbis mihi disserendum esse putaverim, et de libro Περὶ Προνοίας et de Ἀγροικικαὶ Ἐπιστολαί quae sit mea sententia, inter theses huic opusculo additas recepi. Tamen hoc loco profiteor neque mihi videri, id quod visum est plerisque viris doctis, diversos esse libros Περὶ Προνοίας et Περὶ θείων Ἐναργειῶν, quum nimia sit cognatio et formae et animi omnium fragmentorum, neque — id quod Perizonio placuit (edit. Kuehn praef. p. XXVII) — illas unius ejusdemque scripti diversas esse inscriptiones me censere, quum vocabula πρόνοια et θεῖον apud Aelianum numquam idem significare videantur (vid. cap. VI fin.).

[1]) N. A. XIII 12. [2]) N. A. XV 9.
[3]) N. A. XVII 14. X 14. I 53. XI 11. [4]) N. A. XI 10.

ut Var. Hist., sed quia ad homines docendos et instruendos nihil magis aptum esse censuit, quam scientiam naturae. Hanc ob rem haud semel fit, ut non contentus nuntiis traditis quaestionem instituat et referat quod ipse expertus sit. «*Hic teste superiore opus mihi non erit, sed quod ipse cognovi dicam* [1])». — «*Postquam diu investigavi et inquisivi summo studio, cognovi*» etc. [2]). Nam cuique viro culto atque erudito harum rerum scientia ejus opinione utilis et necessaria est [3]):

«*Hominem eruditum nullamque rem frustra audientem scire oportet*» etc. [4])

Qua de causa tanti aestimaverit Aelianus scientiam animalium naturae, apparet ex opinionibus ei propriis de rebus divinis atque humanis, id quod infra [5]) exponam. Hoc loco tantum haec non praetereunda esse videntur: Aelianus ipse dicit [6]) inflammatum se esse amore quodam insito et innato ad animalium naturam perscribendam et maximam diligentiam adhibendam. Dignissima habet animalia subtili descriptione omniumque bene eruditorum hominum notitia, quod virtus quaedam in animalibus mente et ratione carentibus apparens admirationem nostram magis concitet, quam virtutes hominis mente ingenioque praediti. Huc accedere, quod multis in rebus animalia nobis praestent robore prudentia sagacitate pietate quadam, ita ut nequaquam plane nobis inferiora habenda sint, quibus de causis et utile et jucundum esse cuique viro liberali naturam animalium cognoscere. Minime igitur hoc tantum sequitur, ut narret res mirabiles praebeatque opus gratum ad legendum, sed, id quod respondet animo ejus pio ac severo, docere et emendare vult sui temporis homines.

In Natura Anim. Aelianus exemplis summa diligentia undique quaesitis demonstrare conatur tota in natura, praesertim in animalibus, latere vim superiorem et arcanam neque quicquam in mundo divinae mentis

---

[1]) N. A. V 47. [2]) N. A. XIII 23.
[3]) N. A. III 30. [4]) N. A. V 48.
[5]) cap. V. VI. [6]) N. A. epilogus.

quodam spiritu carere. Hunc ad finem neque scripsit Naturalem Historiam, ut Aristoteles Plinius alii, nec delectationem praebendo studuit, sed excerpsit ex omnibus scriptis, quae praesto ei erant, eas res notas et ignotas, quibus illa sua opinio probari videretur. Quo factum est, ut fere in omnibus, quae narrat de animalibus, aliquid mirabile et primo aspectu incredibile insit, qua in re haud negligendum est multa, quae nos falsa esse putamus vel scimus, illo tempore omnibus credibilia et ab omnibus credita fuisse. Aelianus certe omnia, quae narrat, vera habuit, nullaque res ab ejus opinione abhorrere putanda est, nisi cui expressis verbis fidem deroget, quod quidem haud raro fit [1]). Aut brevibus verbis profitetur se non credere aliquam rem («λέγουσι δὲ Αἰγύπτιοι — καὶ ἐμέ γε οὐ ῥᾳδίως ἔχουσι πειθομενον» etc. [2]) — «καὶ ἐμὲ μὲν ἥκιστα πείθουσι» [3]). — «Ἐγὼ μὲν οὐ πεπίστευκα...... Ὅτι μὲν οὐ πείθει με ὁ λέγων, ἤδη εἶπον· ἃ δ' οὖν ἤκουσα, οὐκ ἐσίγησα») [4]), aut ipse non ausus de vero falsoque judicium facere permittit judicium legenti («ἴσως μὲν λέγουσί τι οἱ λέγοντες, ἴσως δὲ οὐδὲν λέγουσι» [5]). — «εἰ δέ τῳ δοκεῖ μῦθος τοῦτο, σύμφημι πειρώμενος ἐς ἰσχὺν κατεγνωκέναι αὐτόν» [6]). — «λέγει δὲ Ἀπίων, εἰ μὴ τερατεύεται · · · ·» [7]) — «ἡμιόνων δὲ Ἦλιν μητέρα οὐκ ἐρεῖς, ἢ τὸ λεχθὲν ψεῦδός ἐστιν») [8]). Semper e ratione narrandi, etiamsi neque consensum neque dubitationem exprimat, satis perspicue intellegi potest, quae sit Aeliani opinio. Si quid refert nullo auctore nominato, certe non dubitat, quin res vera sit. Nam quotiescunque nuntium praestare tuerique non vult, aut semel aut saepius auctorem nominat, quem sequatur, praesertim quum manifestum fieri velit sententiam se non suam sed alienam proferre; sin diffidit alicui testi, numquam suam sententiam proponere neglegit. Tamen ne eorum quidem scriptorum, quorum fidem parvi aestimat, nuntiis uti aspernatur

[1]) N. A. XII 7. XI 10 fin. IX 23. VIII 11.
[2]) N. A. X 29.
[3]) N. A. XII 3. [4]) N. A. XVII 14.
[5]) N. A. XIV 18.
[6]) N. A. XII 21. [7]) XI 40. [8]) V 8.

secundum id quod sibi proposuit «εἰπεῖν μὴ παραλείποντι ἅπερ ἔγνων.» Ut saepe [1]) Ctesiam auctorem sequitur, quamquam de eo dicit [2]) «εἰ δή τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι ὑπὲρ τῶν τοιούτων Κτησίας»; hanc ob rem ubique addit Κτησίας φησί, ne ipse omnia credere putetur. Contra quum plane assentitur auctori suo, non modo ejus narrationem, sed etiam judicium silentio pro suo profert. Sic Plutarchum [3]) Oppianum [4]) Aristotelem [5]) Athenaeum multos alios mox nominatim mox silentio sequitur; Theophrastum expressis verbis fidum testem nominat («τεκμηριῶσαι τοῦτο καὶ Θεόφραστος ἱκανός» [6]); interdum repetitis verbis «φησί» «οἴονται» similibus indicat dubitationem quandam [7]).

Nulla igitur est causa dubitandi de veritatis amore, quem quum aliis in rebus tum in hoc opere curae sibi fuisse Aelianus affirmat [8]). Tamen studio rerum admirabilium investigandarum haud raro permotus est ad diligentem quaestionem neglegendam, ita ut interdum quasi occaecatis oculis veteres scriptores secutus sit. Fere ridiculum est, si dicit «*Equi ciliis inferioribus carere dicuntur*» [9]), nam quam facile potuit ipse rem experiri! Contra laudanda est diligentia et cura, qua Aelianus tot nuntios memoria dignos nobis tradidit et memoratis multis fontibus, ex quibus hausit, notitiam nostram veterum scriptorem auxit.

Quae crebra fontium indicia, quum non nisi ad hujus operis finem auctori opus essent, in ceteris Aeliani scriptis desiderantur. In Var. Hist. perraro [10]) docet unde sumpserit id quod narrat; etiam rarius [11]) suum judicium de vero ac

---

[1]) N. A. IV 26. 27. 41. 52. V 3. VII 1. al.
[2]) N. A. IV 21.
[3]) N. A. IX 1. 2. 3. 17. VIII 6. X 21. XI 22. etc.
[4]) N. A. IX 66. VIII 26. [5]) N. A. VII 22. XII 28.
[6]) N. A. IX 15. [7]) N. A. X 4. 9. IV 52. V 3.
[8]) N. A. epil. «φίλη δὲ ἡ ἀλήθειά μοι τῇ τε ἄλλῃ καὶ ἐνταῦθα οὐχ ἥκιστα.»
[9]) N. A. IV 50 «οἱ ἵπποι τὰς κάτω βλεφαρίδας οὔ φασιν αὐτοὺς ἔχειν.»
[10]) V. H. I 14. 15. 27. III 14. VII 1. XIII 21. 31.
[11]) V. H. III 18. fin.

falso profert. Id hanc ob rem factum esse videtur, quod has narrationes magis ad suam delectationem suumque usum fortasse rhetoricum Aelianus collegit, quam ad legendum, id quod probatur quum compositione maxime variarum rerum sine ordine facta, tum singularum narrationum diversa forma, quae partim subtiliter et copiose perscriptae leni atque aequabili orationis tractu currunt [1]), partim breviter comprehenduntur vel tantummodo perstringuntur [2]). Itaque etiam magis huc pertinere videntur quae scriptor dicit [3]) de Nat. An. componendae ratione: «*non disposui narrationem secundum singula animalia neque unius cujusque quae propria sunt una descripsi, sed varie varia miscui et super multa vagatus sum, quum mox historiam horum animalium reliquerim, mox verterim me ad aliud quid de eorum natura dicendum . . . . . varietate legendi suavitatem petens et fugiens taedium similitudinis hoc scriptum sicut pratum vel coronam varietate amoenam e tot animalibus quasi floreis componendum esse putavi.*» Idem consilium secutus est in Var. Hist. neque ea lecturis negata [4]), quamobrem tantum afuit ut quae in legendo scriptores veteres repererit in ordinem redegerit, ut non semel [5]) interruperit alicujus rei narrationem professus alio loco se perrecturum esse. Quo factum est, ut de eadem re pluribus locis agatur, quibus interdum aut idem repetitur, quod ante a dictum est, aut refertur quod dissentiat a priore narratione. Ut pluribus locis idem narrat de Pythagora [6]) Pherecyde [7]) Pericle [8]) Aegyptiorum legibus [9]) multis aliis; contra sibi ipsi non constat in eo quod dicit de araneis [10]).

Denique brevibus verbis de orationis genere et consuetudine sermonis disserendum est [11]). Operam dedisse Aelianum, ut lectissimis verbis uteretur orationemque illustraret et exornaret,

---

[1]) V. H. II 4. III 1. 18. XIII 1. XII 1.
[2]) V. H. II 16. 39. III 4. 34. XIII 35. XII 4. 59.
[3]) N. A. epil. [4]) V. H. III 16.
[5]) V. H. IV 13. H. A. II 2. XI 1. XIII 18.
[6]) V. H. II 26. IV 17. [7]) V. H. IV 28. V 2.
[8]) V. H. VI 10. XIII 23. fragm. 68. [9]) V. H. XII 4. XIV 34.
[10]) N. A. VI 57. V. H. I 2. [11]) vide p. 6 not. 2.

ipse dicit [1]). Qui ornatus verborum ac splendor orationis etsi nequaquam ubique reperitur, tamen neque in Nat. An. neque in Var. Hist. desideratur, quamobrem non sine causa Philostratus dicere videtur Aelianum linguae Atticae non minus peritum fuisse Graecis in Attica habitantibus. Laudat Philostratus et puritatem et venustatem sermonis, quo Nicostratum et Dionem Chrysostomum ad imitandum sibi proposuerit Aelianus. Certe haud raro jucunde redundat oratio et fere poëtica arte decora est, quum saepe splendoris aliquantum ei aspersum sit.

An non laude digna est illa amoena Tempes vallis descriptio [2]), quae Homerum suavitate aequat, et illi similis Atalantae vita illustrata [3])? Magnus lepos est illi quoque loco, quo de elephantum Africanorum insidiis disserit. «*Viri*, inquit [4]), *gnari elephantorum doli culeos aquae plenos hic et illic ponunt et ipsi assidunt. Hic dormit, ille bibit; aliquis mox potat e poculo mox cantat et in cantu amatae meminit; et si quis mulceat juvenem florentem venationis participem, ego non mirer, nam pulchri sunt Mauri*» etc.

Omnibus his rebus, quae ad genus orationis coloremque sermonis pertinent, plane inter se consentiunt Var. Hist. et Nat. An. Neque minus animus scriptoris ex utroque scripto elucens par atque idem est, ita ut facere non possimus quin utrumque opus eidem auctori attribuamus [5]). Quod ne illa quidem controversia prohibere potest, quae exstat inter Philostratum, qui Aelianum numquam navem conscendisse narrat, et Aeliani ipsius verba [6]), quibus Alexandriae moratum

---

[1]) N. A. prooem: «εἴ τι σπουδῆς ἄξιον παρεχοίμεθα καὶ τῇ εὑρέσει τῇ περιττοτέρᾳ καὶ τῇ φωνῇ» etc., et in epilogo: «ὅπως δὲ αὐτὸ εἶπον καὶ σὺν ὅσῳ πόνῳ, τό τε εὐγενὲς τῆς λέξεως ὁποῖον καὶ τῆς συνθήκης, τῶν τε ὀνομάτων καὶ τῶν ῥημάτων τὸ κάλλος, ὁπόσοις ἂν μὴ χρήσωμαι πονηροῖς κριταῖς, ἐκεῖνοι εἴσονται.»

[2]) V. H. III 1. [3]) XIII 1. [4]) N. A. XIV 5.

[5]) Non ejusdem auctoris esse haec scripta visa sunt praeter alios Valckenario (annot. ad. Phalar. in edit. Lennepii p. XVIII) et Bernhardyo (Wissenschaftl. Syntax p. 37. not. 61).

[6]) N. A. XI 40.

eum esse efficitur. Nisi Philostratus errasse putandus sit, fortasse Aelianus aetate minus provecta hoc dixit, postea iter fecit inscio Philostrato.

Diversa sermonis colore, paria animo consilioque sunt fragmenta tertii scripti. Ut in illis duobus saepe est lenis et grata oratio [1], sic in opere, quod erat inscriptum Περὶ Προνοίας et Περὶ θείων ἐναργειῶν [2], sermo est severus acer vehemens plenus irae contra omnes, qui deos contemnere vel nefarium philosophiae genus sequi auctori videntur. Quos homines docere vult [3] nullum scelus effugere posse deorum ultionem ac deterrere studet imprimis ab impietate et superbia exemplis eorum, quos poena deorum secuta sit. Quibus de causis ex hoc scripto quamvis mutilato animus moresque Aeliani maxime intellegi possunt.

Ut tribus his scriptis idem sit auctor tribuendus, reliquis nunc omissis indiciis efficitur duobus enuntiatis Aeliano propriis, quae in omnibus reperiuntur. Optime significat animum ejus gravem severum paene morosum, quod, quotiescunque per jocum aliquid dicturus est, quasi excusatione egere sibi videtur; quamobrem semper addit: «ἵνα τι καὶ παίσω» vel «βούλομαί τι φαιδρὸν εἰπεῖν» [4]).

De tempore, quo nata sunt singula Aeliani scripta, nihil certi nobis notum est. Verisimile est Variam Hist. ante Nat. An. scriptam esse, quum inter facta dictaque, quae sunt in Var. Hist., pauca tantum ad animalia pertineant et horum paucorum major pars in Nat. An. repetatur. Quod quidem probare mihi videtur Aelianum primo operi, quum hominum dicta factaque memoria digna — fortasse juvenili aetate et in usum scholae rhetoricae — colligeret, etiam id adjunxisse, quod de animalibus in legendo ei occurreret, quas res postea consilio Nat. An. scribendae capto in novum opus recepit, nam certe non id denuo narrasset, quod jam aptissimo loco, in Nat. An., scriptum haberet. Sic de compluribus animalibus primum in Var. Hist. mentionem fecit,

---

[1]) vid. p. 12. [2]) vid. p. 6. not. 1. [3]) Fragm. 26. 63.
[4]) Fragm. 12. 109. N. A. XIV 4. I 30. V. H. XIV 39.

deinde fere eisdem verbis in Nat. An. disseruit: de araneis [1], de cane Aegyptio [2], de vulpe marina [3], de muribus [4], de Gelontis cane [5], de cycnorum cantu [6], de aliis. Hanc opinionem probat animus gravior et severior qui apparet in secundo opere. Severitas fere morosa senilisque elucet e fragmentis, quare scriptum Περὶ Θείων Ἐναργειῶν postremum fuisse puto.

Cap. III.

De republica quid senserit Aelianus.

Quod attinet Aeliani sententias de republica, magis e silendo, quam e dictis nobis concludendum est. Nam ut tot variis omnium populorum narrationibus ad omnes fere res memorandas ducitur, sic fere numquam movetur ad indicandum id, quod de republica civilibusque temporibus sentiat. In epilogo Nat. An. brevibus verbis docet eos, qui quod a republica deficiat et honoribus publicis neglectis ad studium litterarum se verterit ei objecerunt, sibi licuisse *«magnificum esse et in aula apparere»* [7]; tamen se maluisse animalium naturae studere. Quae sententia confirmatur paucis locis, quibus opinio de rebus publicis reperitur, id quod perraro fit. Videtur censuisse Aelianus optime se sibi consulere, si muneribus publicis contemptis plane in otium se referat. Quod judicium ex illius aetatis moribus temporibusque civilibus haud difficile probari potest.

Aetas Hadriani Antonini M. Aurelii, qua civitas Romana a terroribus primi Imperii saeculi liberata quasi respiraverat, et finibus usque ad extremas oras propagatis omnes artes litteraeque in imperio pacato beatoque florebant, ut multis

---

[1] V. H. I 2. Nat. An. VI 57.
[2] „ 1 4. „ VI 53.
[3] „ I 5. „ IX 12.
[4] „ I 11. „ XI 19.
[5] „ I 13. „ VI 62.
[6] „ I 14. „ V 34.
[7] «ὠφρυῶσθαι καὶ ἐν ταῖς αὐλαῖς ἐξετάζεσθαι».

«*aurea aetas*» rediisse videretur, Commodo Imperium tenente rapide in contrarium se vertit. Corrupti Romanorum mores et imminens ruina reipublicae in dies magis ante omnium oculos posita sunt, et depravatio eorum, qui altissimos in civitate gradus obtinebant summoque magistratui praeerant, ita aucta est, ut viri pudore atque honestate praediti diffisi reipublicae nulla ex parte publica munera attingerent. Quum nulli nisi homines mentis humilis et corruptae libidini Caesarum servire et secundum eorum voluntatem in republica agere vellent, resistere autem communi perniciei nemo posset, et multi alii et Aelianus studio philosophiae litterarumque solacio uti periculaque muneris publici vitare conabantur. Nec vero scribere quamlibet rem illo tempore sine periculo licebat, sed, ut libera publica oratio jam pridem oppressa erat, ita iis, qui rerum gestarum historiam scribere audebant, semper delatores timendi erant. Quibus de causis plurimi illius temporis scriptores, ut Athenaeus Philostratus Oppianus Fronto ad eas res describendas se verterunt, quae procul essent a vita publica, et in his quoque operibus se abstinebant quam plurimum a judiciis de rebus publicis. Quo factum est, ut ex Aeliani scriptis aegre cognoscere possimus, quae fuerit ejus sententia de Caesarum Imperio, de libera republica vel aliis reipublicae rationibus ac formis.

De Caesaribus ipsis sui temporis, praesertim de Caracalla et Elagabalo quid senserit satis patet ex illa accusatione, quam scripsisse eum in «*tyrannum*» paullo ante mortuum Philostratus refert. Ab imperio unius non alienus est, si vir sapiens et justus imperium teneat, nam saepe de Graecarum urbium tyrannis cum laude aliquid narrat [1]), et consentit quidem cum Stoicis, qui philosophum optime rempublicam administrare censent [2]). Multis philosophis enumeratis, qui rempublicam bene egerint vel alio modo patriae utiles fuerint, stulti et temerarii esse dicit philosophos inertes nominare. «*Ego quidem,* inquit *eorum inertiam et otii amorem propere peterem*». Quae ad verba nihil suppleri potest nisi:

---

[1]) V. H. III 26. IX 4. IX 25. VI 11. [2]) V. H. III 17. VII. 24.

«si mihi liceret in republica administranda virtutibus philosopho dignis uti»; nam licuisse sibi excellentius se gerere in republica ipse dicit [1]. Qua re denuo probatur sua sponte Aelianum defuisse reipublicae, quia locus non erat probis sapientibusque viris. Nec tantum personam induisse boni civis philosophique, sed animi virilis liberalisque fuisse eum satis perspici potest. *«Homo liber,* inquit, *meo quidem judicio contumeliam suam compensari praemio censere non debet»* [2]. Narrationi de Phocione [3], qui potaturus mortiferum poculum adhortatus sit filium, ne ulcisceretur Athenienses, haec verba addit: *«Qui hunc virum non laudet neque valde admiretur, is nihil magni in mente habere mihi videtur».* De Epaminonda, qui pecuniam a rege Persarum missam repudiavit *«Mea quidem sententia,* inquit [4], *qui repudiavit, animi magnitudine praestabat ei, qui dedit».* Qui Aeliani animus liberatis quum e multis aliis locis [5] intelligatur, dubitandum non est, quin nihil nisi corruptio ac depravatio eorum, qui summis honoribus fungebantur, eum a republica retinuerint. Nam parvi non aestimasse eum publica munera curamque reipublicae salutis patet ex multis locis, quibus laudem attribuit iis, qui bonas leges in rempublicam induxerunt beneque eam gesserunt. Contra quanto muneribus publicis non a sapientissimis viris gestis philosophiam et otium pluris habuerit, demonstrat narratio de Timotheo [6] Platonem admirato. Hoc enim loco tributa, naves longas, usum navalem, classem complendam, officium auxilii, vectigalia sociorum, res provinciales, alia ejusmodi «*n u g a s*» (φληνάφου) esse dicit.

Quum igitur ipse a republica procul esse malit, viros autem bene meritos de patria laudet, t y r a n n o r u m acerbissimo odio repletus est. Necem eorum pulchrum facinus nominat [7] et gaudet [8] deos fere numquam tyrannorum dominationem usque ad eorum nepotes ducere, sed aut ipsos

---

[1]) N. A. epilogus. [2]) V. H. XII 62. [3]) V. H. XII 49.
[4]) V. H. V 5.
[5]) V. H. VII 14. II 22. III 17. II 37. cet. vid. in cap. V.
[6]) V. H. II. 10. [7]) Fragm. 86. fin. [8]) V. H. VI 13.

funditus exstinguere aut filios potentia exuere. Nam dicit [1]) imperium violentum et acre, urbes expugnatas populosque exstinctos pestem esse, ad bona pacis pertinere curam civium salutis atque incolumitatis. Quo tyrannorum odio ad miram comparationem deducitur, quum dicat [2]), ut sus manibus correptus illico necem timeat, sic tyrannos omnibus in rebus pavere, quia omnibus ut suem vitam se debere sciant. Apium quoque reginam, ut libenter virtutes animalium hominibus ad imitandum proponit, praestare contendit [3]) miti diligentique animo plurimis tyrannis.

Sed omnibus his locis se abstinet a vituperatione quin etiam a mentione Romanorum Imperatorum, quamquam Nerone Domitiano Commodo Caracalla ad tyrannorum scelera perniciososque mores describendos exempla magis idonea reperire non potuit. Cujus silentii sine dubio eadem fuit causa, quae omnes illius temporis scriptores a Romanorum rebus gestis libere describendis deterruit: metus ac desperatio. Magis mirandum est, quod Aelianus, quamquam Romanus erat, etiam earum rerum mentionem facere dubitat, in quibus periculum esse non potuit. Nam quum de tot nationum moribus legibus rebus gestis narrationes traditamque historiam collegerit, patriam suam tam raro commemorat, ut vix decem locis inter sexcentos ad veterum nationum mores resque gestas pertinentes Romanorum fiat mentio. Minime parvi aestimat Romanos neque patriae amore caret, id quod pro ejus Graecarum rerum studio videri potest, nam et se ipsum cum quadam animi elatione Romanum nominat [4]), et ubicunque de eorum institutis rebusque gestis dicit [5]), cum laude dicit. Neque vero ideo pauca narrat de patria sua, quia Romanorum historia magis nota erat lecturis quam exterarum nationum; nam et ex Graecorum historia multas res certe omnibus notas refert et ea, quae de Romanis dicit, nequaquam minus nota elegit [6]).

Certe igitur, id quod sententiam Aeliani de rebus publicis

---

[1]) V. H. XIV 11. [2]) V. H. X 5. [3]) N. A. V 10.
[4]) V. H. II 38. XII 25. [5]) V. H. IX 12. XI 9. XII 33.
[6]) V. H. VII 11. XII 33.

manifeste significat, nullam aliam ob causam se abstinuit in scribendo a rebus Romanis, nisi quia una parte ne offenderet in periculumque veniret timebat, altera parte desperans de republica quam minime patriae olim florentis tunc collabentis moneri volebat.

Cap. IV.

De Aeliano philosopho.

Quanti aestimaverit Aelianus philosophiam eosque philosophos, qui non vanis rebus studere sed vera bona petere et de hominibus bene mereri ei videbantur, maxime intellegi potest ex illo loco [1]) jam supra memorato, quo prae philosophia omnem in rebus publicis muneribusque occupationem «*nugas*» esse dicit, neque minus ex enumeratis iis philosophis [2]), qui rempublicam bene administrarunt vel alio modo bene sunt meriti de civibus suis. Inter veteres philosophos maxime admiratur Pythagoram Platonem Socratem Zenonem, vehementissime conviciatur Epicuro, quum illos et ipsos vitam philosophia dignam egisse et praeclara praecepta reliquisse, hunc ventri servisse deosque negasse censeat. Mirandum est igitur, quod saepe laudem veteris philosophiae, numquam vituperationem legimus philosophorum aequalium, qui nomina ac praecepta Platonis Aristotelis Pythagorae magna cum ostentatione in ore habebant vestituque philosophorum se jactabant, sed nulla ratione virtutibus sapientiaque illos aemulabantur.

Tempore Aeliani philosophia nomine suo maxime indigna erat. Honesta et praeclara veteris temporis philosophia, quae summis humanis divinisque rebus se occuparat et optimum quemque spe summorum bonorum allexerat, quum apud Graecos tum apud Romanos jam pridem oppressa atque exstincta erat. Studium philosophiae numerusque eorum, qui philosophos se appellabant, altero Imperii saeculo immense aucta erant, sed fere apud neminem eorum, qui magna cum

---

[1]) V. H. II 10. [2]) V. H. III 17. VII 14.

jactantia sectas atque instituta veterum philosophorum sequebantur, verae sapientiae quidquam reperiebatur. Quum Socrates Plato Zeno Chrysippus, quos viros Aelianus magni pendit et saepe laudat, exemplo praeceptisque vitae publicae et hominum moribus prodesse voluissent, tunc omnis philosophia posita erat in vanis scholarum doctrinis, quae partim obscurae mysticaeque partim vulgares superbaeque erant. Vitae ae praecepta philosophorum, id quod jam Quinctilianus dedecori iis tribuerat, continuo inter se pugnabant, nam quum ipsi, ut Luciani verbis [1]) utar, pigri rixosi gloriae cupidi stomachosi edaces superbi essent, de patientia et moderatione pulcherrimis sermonibus disserere solebant.

In horum sophistarum numero Aelianum sophistam non habendum esse ostendit animus ejus veritatis honestatisque amans et imprimis ira odiumque parasitorum [2]). Quo nomine plerique illius temporis philosophi maxime digni erant, qui ad divitum mensas bonarum epularum causa omne convicium tolerabant et saepe patronis ludibrio magis quam familiaritati erant.

Sed quamquam Aelianus particeps non erat hujus morum corruptionis neque consentiebat cum hoc genere philosophorum, tamen a philosophiae ipsius sui temporis vitiis minime erat liber; quin etiam in inimicissimo verae philosophiae vitio, in superstitione, multis aequalibus praestabat. Gravissima philosophiae intereuntis causa erat illa farrago religionum caerimoniarumque, quae Aeliani tempore ad summum perducta erat. Vatum et praestigiatorum artibus, externorum deorum oraculis, fraudibus magicis omnes dediti erant, et vix erat ullus in provinciis cultus, quin Romae fautores haberet. Itaque Aelianus quoque et superstitiosae religionis erat et apud philosophos non magis sapientiam, quam magicas quasdam artes facullatesque superiores admirabatur. De Aspasia, quae tumore quodam sub mento orto magna tristitia affecta erat, «*In somno,* inquit [3]), *columba ei apparuit, quae in mulie-*

---

[1]) Luc. Icaromenipp. 29. Bis accus. 11.
[2]) Fragm. 107. 109.
[3]) V. H. XII 1.

rem mutata ei dixit: «Bono sis animo, omittas medicos medicamentaque et quas inveneris jam aridas coronas roseas Veneris, eas pressas impone tumori». Virgo quae audierat fecit et tumor evanuit. Aspasia recuperata pulchritudine per deam pulcherrimam iterum pulcherrima virgo erat». — Euphronionem Epicureum insanabili morbo affectum in Aesculapii templum portatum esse dicit [1]. *«Dormienti ei sacerdotum unus dicere visus est unam tantum salutis viam esse homini unumque remedium imminentis mali, si Epicuri libris igne deletis impiorum nefariorum effeminatorum signorum cinerem cum humida cera depsat et ventre pectoreque collitis omnia vinculis redimiat». — «In Galeotarum urbe vir erat peritus morborum tollendorum, inopiae sterilitate ortae caerimoniis quibusdam levandae, mutationum ad opulentiamque viarum reperiendarum ac praebendarum»* [2].

Quibus magicis artibus quantam fidem Aelianus ipse attribuerit intelligitur e testimonio praeposito illi narrationi [3]) de lacerta oculis effossis in ollam inclusa, quam novem diebus post recentibus oculis praeditam magicis quibusdam artibus prodiisse contendit. Nam «*Hoc loco*, inquit, *non mihi opus erit vetere teste, sed quae ipse vidi narrabo*». Quae superstitiosa credulitas ita non erat propria solius Aeliani, ut apud plerosque scriptorum aequalium hujusmodi miras narratiunculas plena cum fide descriptas legamus [4]. Quum non

[1]) Fragm. 89. [2]) Fragm. 104. [3]) N. A. V 47.

[4]) Iam Arrianus Nicomed. fidem habet talibus rebus; ut legimus apud Eustathium ad Dionys. V 916: «Ἐν Δάφνῃ τῇ πρὸς Ἀντιοχείᾳ ἄλσος τι ἱερὸν Ἀπόλλωνος, καὶ αὐτὴ ἐκείνη δάφνη δείκνυται, ἥν τινες γῆθεν ἀνασχεῖν λέγουσιν ἐπὶ τῇ Δάφνῃ τοῦ Λάθωνος, ἣ φεύγουσα τὸν ἐραστὴν Ἀπόλλωνα ηὔξατο τὸν ὑπὸ γῆν ἀφανισμὸν καὶ ἔτυχε τῶν εὐχῶν». Idem alio loco nulla specie dubitationis narrat fabulam, quae Marti cognomen Enyalii tribuerit multaque ejusmodi. — Phlegon Trallianus in libro Περὶ θαυμασίων de Philinnio, Demostrati filia post mortem suam hospiti visa annulumque munerata, alicui amico homines illam rem probaturos se missurum esse profitetur. Non minus sibi persuasum habere videtur verum esse id, quod narrat de Polycrito Aetolo, qui mortuus in concione civium de infante suo deliberantium exstiterit et infante devorato evanuerit. — Multa similia reperiuntur apud Iulianum Laodi-

minus plurimis aequalibus Aelianus deditus esset cultui peregrinorum deorum, summa cum fide accipiebat res maxime miras de illis traditas, de qua re infra pluribus verbis agam. De Apide [1]), Serapide [2]), magis Persarum [3]), sacerdotibus Aegyptiis [4]), aliis ita narrat, ut de potentia eorum mirisque facultatibus ne minime quidem dubitare putandus sit.

Haec est causa, qua Aelianus, quamvis moribus vitaeque honestate plerisque sui temporis philosophis praestaret, tamen veram philosophiam habere non poterat, sed particeps erat illius doctrinarum et usuum omnium veterum philosophorum misturae, quae conjuncta cum variis religionibus cultibusque incredibilem superstitionem in philosophiam induxerat. Qui veteres philosophi maxime ad hos magicos usus mysticasque doctrinas pertinere videbantur, maximo honore afficiebantur. Itaque Pythagorae et Platonis nomina sanctitate quadam imbuta erant et paene divinam auctoritatem habebant.

Quodsi Aelianus «*divinum*» (θεῖον) Platonem nominat, plus est momenti in hoc verbo, quam admiratio et veneratio singularis hominis; significare vult auctor aliquid divinae mentis superiorisque humana sapientia fuisse in Platone. Magis etiam haec superstitiosa opinio elucet ex eo, quod de Pythagora refert. Quia in hujus philosophi vita ac praeceptis per longam traditionem multis additamentis amplificatis summaque religione implicitis permultum miri et mystici esse videbatur, omnes magicarum rerum studiosi ad hanc philosophiam alliciebantur in eaque summam humanam divinamque sapientiam latere putabant, quae peritis magicae artis summo bono esse posset. Itaque mirandum non est, quod Aelianus pro animo suo religioso mysticoque summam venerationem Pythagorae attribuit et cum pia quadam verecundia, quum judicio plane se abstineat, de eo dicit. Nam

---

ceum (Περὶ πολέμου), Flavium Philostratum (βίοι σοφιστῶν, praesertim in Vita Apollonii Tyanensis), Athenaeum, Oppianum, Scriptt. rerum mirabilium vel Παραδοξογραφοι (ed. Ant. Westermann 1839).

[1]) V. H. IV 8. VI 8. fragm. 37. [2]) N. A. XI 31 — 35.

[3]) V. H. II 17. [4]) fragm. 105.

pauci tantum viri animi liberi contra hunc magicarum artium amorem satyra irrisione vituperatione pugnare susceperunt, ut Lucianus, qui illum Alexandrum Abonoteichicum omnesque Pythagoraeos tam acerba irrisione ac ludificatione affecit, ut ne Pythagorae quidem ipsi parceret [1]. Haud multum profecisse Lucianum, quin etiam post eum superstitionem auctam fuisse probare potest Flavius Philostratus, Aeliani aequalis, qui in Vita Apollonii Tyanenis, capitis ejusdem sectae magicae, cujus erat Alexander, summum portentorum studium conjunctum cum Pythagorae fere divina veneratione ostendit [2]. Eandem opinionem Aelianus habet. Nam quamquam id, quod ipse Pythagoras de divina sua origine contenderat, pro vero habere non videtur, quum dicat [3]: «*Pythagoras docebat homines, se genitum esse ex meliore quam humano semine*», tamen cetera prodigia, quae de eo tradita erant, ita narrat, ut non sit dubitandum, quin haec haud minus quam innumeras miras res credat: eodem tempore Pythagoram Crotone et Metaponti visum esse, Olympiae aureum suum femur ostendisse, Mylliam Crotoniatem ab eo monitum esse pristinae aetatis, qua ille Midas rex fuisset, flumen Cosam eum transeuntem salutasse «*salve Pythagora*». De Pythagorae praeceptis doctrinaque pauca tantum uno loco [4] et tam brevibus verbis refert Aelianus, ut utrum consentiat cum hac doctrina annon incertum esse videri possit. Tamen haec continentia verborum ac paene taciturnitas, quae non nisi ex tota Aeliani de natura rerum atque deorum sententia perspicitur, maxime demonstrat, quomodo quum philosophos tum philosophiam consideraverit.

Aelianus sibi persuasum habet totum mundum a deo factum ac talem, qualis factus sit, optimum esse. Quamobrem summo odio persequitur omnes, qui dubitent de naturae divinitate et forte quadam mundum ortum esse doceant. Ut de Epicuro his verbis utitur [5]: «*Erat hoc in libro doctrina Epicuri, mala Epicuri signa, in quibus etiam*

---

[1] Luc. Vit. auct. 2. Pisc. 43. Alexand. 25. 40.
[2] Flav. Philostr. V. Apollon. VIII 19. etc. [3] V. H. IV 17.
[4] V. H. XII 59. [5] fragm. 61.

hoc erat: mundum regi forte quadam non voluntate judicioque dei; hos atomos, de quibus multi fabulantur, concurrere inter se et iterum discedere et ex iis aërem et terram et mare nasci». Ejusdem Epicuri philosophiam «nugas» (φλυαρίας) esse[1]), ipsum scelestum diisque invisum esse dicit[2]) non modo propter deos contemptos hominesque effeminatos, sed quia investigationem instituerit de mundi origine. Nam consilio deorum in natura multum credit esse occulti ac secreti, a quo perquirendo hominibus abstinendum sit, ne verecundiae deorum neve suae saluti officiant. «*Utrum,* inquit[3]), *in imo mari pisces sint monstraque, an his quoque locus sit invius, ita ut dei marini et aquosi regni dominus eum obtineant, neque ego inquiro neque alius quisquam rettulit».* — «*Naturae arcana exquirere meum non est et hoc quidem jure. Nam gallum timet leo et basiliscus, suem elephas; qui autem multum otium gerentes et tempus parvi aestimantes illarum rerum causas quaerunt, ad finem laboris non pervenient*»[4]). — «*Quo modo et unde hoc fiat philosophando nunc non vaco neque vero naturae arcana explorando*»[5]). — «*Quae sit causa hujus mutui doni, neque ego neque alius quisquam novit, nisi qui vane se jactet; sed novit, o Rhegini et Locrenses, natura sola*»[6])!

Hanc propter piam verecundiam, quae prohibet Aelianum, quominus id, quod deos ipsos abscondidisse putet, cogitando et speculando in lucem protrahat, et ipse a vera philosophia procul sit oportet et judicium ejus de philosophis haud magni aestimandum est. Nam eorum philosophorum, quibus assentitur, eam tantum doctrinae partem disserendo attingit, quae ad vitam publicam mores litteras pertinet; quod investigarunt de origine mundi, de natura rerum, de diis, nullo fere verbo memorat. Hanc ob rem brevibus quidem verbis refert[7]) Pythagoram sanctissime esse docuisse folium malvae, sapientissimum numerum, huic proximum esse, qui nomina rebus

---

1) fragm. 89. 2) fragm. 33. 3) N. A. IX 35.
4) N. A. VIII 28. 5) N. A. V 1. 6) N. A. V 9.
7) V. H. IV. 17.

dederit, terrae motum esse conventum deorum, arcum coelestem solis radium; sed nihil addit Aelianus, quod exprimat consensum vel dubitationem, quia neque contra viri auctoritatem pugnare ausus est, neque naturae indagationem voluit probare. Ab hac sententia, quam supra[1]) quatuor exemplis probare conatus sum, dissentire videtur id, quod Aelianus dicit in Nat. An. epilogo: «*Si in poëtarum sapientum virorumque, qui naturae arcana videre et perspicere possunt, numero me ipsum habere conor*» etc. Sed illi loci, quibus tam acriter a se repulsat perquisitionem naturae, probant haec epilogi verba «*videre et perspicere naturae arcana*» (ἰδεῖν τε ἅμα καὶ κατασκέψασθαι φύσεως ἀπόρρητα) non significare investigationem, quid sit arcanum, sed ubi sit. Nam notitiam et admirationem horum arcanorum laudat Aelianus, vituperat et detestatur investigationem. Eandem ob causam quaecunque refert de ceteris philosophis carent significatione de summis rebus doctrinae, id quod maxime conspicitur in Platone et Aristotele laudatis. Quorum nihil aliud spectat nisi vitam moresque, ita ut quid de eorum philosophia judicaverit Aelianus ex eo, quod rettulit de vita, nobis conjiciendum sit. Quod Aristotele multo pluris habet Platonem non opinioni soli illius temporis, quae nomen Platonis eadem qua Pythagorae divina auctoritate affecit, sed etiam utriusque philosophiae rationi tribuenda esse videtur. Aristotelem compluribus locis acrius vituperat, imprimis propter ea vitia, quae Platonem ab eo abalienarunt. «*Irrisio quaedam,* inquit[2]), *erat in vultu ejus et loquacitas intempestiva garrulum eum esse ostendebat*», et alio loco ingratum fuisse Aristotelem erga Platonem dicit[3]). Nec vero laude quidem se abstinet, quum bene meritum eum declaret de Alexandro[4]) et sapientem virum non modo visum esse, sed fuisse profiteatur[5]). Tamen Platonem multo pluris aestimat, quem divinum appellat et de multis civitatibus hominibusque optime meritum[6]) multisque virtutibus praeditum[7]) omni laude effert. Verisimile est etiam haec judicia

---

[1]) vid. p. 23. [2]) V. H. III 19. [3]) V. H. IV 9.
[4]) V. H. XII 54. [5]) V. H. XIV 1. [6]) V. H. III 17. IV 18. VII 7. II 42.
[7]) V. H. IX 10. II 18. XII 29.

non in moribus solis Platonis atque Aristotelis posita esse, sed in eo, quod de diis rerumque natura docuerunt, quum Plato mundum a sapiente benignoque deo factum summa esse pulchritudine et perfecta absolutione, Aristoteles omnia praeter hominem imperfecta manca vitiosa naturae opera esse contenderet. Hanc ob rem, quamvis nihil disserat de hac re Aelianus, sine dubio magis cum Platonis quam cum Aristotelis philosophia consentire putandus est. Quae res, ut sententiae de aliis philosophis prolatae ostendunt, facile eum movere potuit, ut nimiam fidem haberet et benevolis de Platone et malevolis de Aristotele fabulis. Quantopere enim philosophiam et philosophos judicaverit ex eo, quod de rebus divinus mundique origine constituerint, praeclare illustratur hac re, quod omnes philosophos, qui deos esse negant, gravissima reprehensione persequitur et barbaris animalibusque posthabet. «*Quis*, inquit[1]), *laudibus non effert barbarorum sapientiam? Q u o r u m n e m o d e o s e s s e n e g a t* (εἰς ἀθεότητα ἐνέπεσεν) *n e q u e d u b i t a n t u t r u m d i i s i n t n e c n e, u t r u m n o s i i s c u r a e s i m u s n e c n e. Nemo eorum illud animo concepit, quod Euhemerus Messenius, Diogenes Phryx, Hippo, Diagoras, Sosias, Epicurus — neque Indus ullus, neque Celta neque Aegyptius*» etc. — De m u r i b u s, quos verecundia Herculis, ne uvas ejus sacras attingant, paulisper ab insula Heraclea sua sponte abesse narrat, «*Hoc*, inquit[2]), *bene faciunt mures Pontici; H i p p o a u t e m e t D i a g o r a s e t H e r o s t r a t u s e t r e l i q u u s o r d o e o r u m, q u i d i i s i n v i s i s u n t, num hi parcerent uvis vel aliis donis sacris, quum etiam nomina operaque deorum aliqua spoliare mallent?*» — «*E l e p h a n t i adorant Solem orientem manus tendentes radios versus . . . . . e l e p h a n t i i g i t u r d e o s a d o r a n t. h o m i n e s a u t e m d u b i t a n t n u m d i i s i n t, e t s i s i n t, n u m n o s i i s c u r a e s i m u s*»[3]). Quodsi s o p h i s t a s Aelianus vituperat, certe non est ea sola causa, quae Socratem ad oppugnandos eos movit: «*Quia nihil sani in iis erat neque quicquam boni noverant neque dicebant*»[4]), sed etiam haec, quod sequebantur eam senten-

---

[1]) V. H. II 31. [2]) N. A. VI 40. [3]) H. A. VII 44.
[4]) V. H. II 13.

tiam, quae scripta erat initio Protagorae libri[1]). Et Gorgiam et Protagoram immerito magnam apud Graecos famam adeptos esse contendit[2]), nam Democritum ipsum et Philolaum sapientia illos superasse. Maxime autem, ut jam supra memoratum est, detestatur philosophiam Epicuri quum propter voluptatum cupidinem, qua Epicurus corrumpere et effeminare homines ei videbatur, tum quia deos esse negabat. Tamen uno loco[3]) cum laude quadam mentionem facit continentiae et temperantiae Epicuri, quem se jactasse dicit his verbis: «*Cui pauca non sufficiunt, ei nihil sufficit*», ac promittit alio loco se quaesiturum esse, quo consilio illa cogitans Epicurus voluptatem laudaverit. Dolendum est hanc quaestionem omisisse Aelianum, ita ut utrum Epicuri praecepta haud recte perspexerit an ab iis dissenserit nesciamus. Certe a sui temporis Epicureorum moribus ac praeceptis vehementer dissentiebat, quod quidem mirandum non est, quum omnes heluones sub illo nomine laterent. Quum Epicurus ipse docuisset illam voluptatem, quod summum bonum esse constitueret, contineri in vita ad naturam accommodata, in animo paucis rebus contento, in moderantia et tranquillitate, posterioris temporis Epicurei omnibus luxuriis libidinibusque serviebant et quamlibet voluptatem sequebantur. Quam corruptionem et praesertim deorum contemptionem minimo jure Epicuro ipsi attribuit et hanc ob rem fere nullo convicio eum non consectatur[4]). Ut de impio aliquo homine his verbis utitur: «*Homo effeminatus muliebrisque . . . . . Epicuri doctrina animo enervatus muliebrisque factus . . . . . Malam sapientiam sequens impiosque Epicuri sermones atque effeminatos servans*». Epicurum nominat[5]) hominem «*gulae fastidiosae lautitiarumque studiosum* (προτένθης τε καὶ ὀψοφάγος)», libros ejus «*scriptum detestabile et impium, quod Gargettius uti ea, quae nata sunt e Titanorum semine, hominum vitae ut maculam injecit*»[6]).

---

[1]) Diog. Laërt. Vit. phil. IX 51. «περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔθ' ὡς εἰσὶν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν· πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου».

[2]) V. H. I 23. [3]) V. H. IV 13. [4]) fragm. 10.

[5]) fragm. 39. [6]) fragm. 89.

Ex hac ira atque acerbitate, qua persequitur Aelianus non modo impietatem sed etiam mollitiem libidinem voluptatum cupidinem Epicureorum, conjici potest ipsum in contrariam philosophiae partem se addixisse et Stoicorum praecepta secutum esse. Quod quidem probatur et ea ratione, qua memorat hujus sectae auctorem, et consensu, quo conjunctum eum fuisse cum Stoicorum institutis constat. Zenonis laudat et dignitatem animique magnitudinem[1] («σεμνῶς τε καὶ μεγαλοφρόνως»), et sapientiam ejus discipulis tam utilem[2], Cleanthis et Chrysippi animum paucis rebus contentum[3]. Ubique easdem virtutes laudibus effert eademque vitia reprehendit, quae Stoici; et illae virtutes non modo in ore ejus versatae esse, sed magnae curae ei fuisse videntur, quae res, si consideramus communem corruptionem, haud parvo ei decori ducenda est.

Tanto in philosophiae religionisque praeceptorum concursu quum Stoica philosophia esset una, quae tempore morum corruptorum virtutes publicas et privatas defendere atque docere non desineret, optimus quisque Stoicis se adjungebat, ita ut per longum tempus in numero Stoicorum essent omnes, qui amore patriae libertatisque communi corruptelae se opponebant et sapiente vita contemptaque Imperatorum adulatione veteres mores servare studebant. Tempore Hadriani Antonini Aurelii ad magnam existimationem haec philosophia pervenit, quum Imperatores ipsi quique summis in republica honoribus fungebantur, ei faverent. Sed hac re factum est, ut multi nomine Stoicorum se jactarent, qui a virtutibus Stoicis procul abessent neque personam philosophi induerent nisi ad libidines vitiaque omnia obtegenda. In horum numero Aelianum non habendum esse, sed sincero animo virtutes Stoicas petivisse, permultis scriptorum locis illustratur. Certe id, quod de se ipso suisque moribus dicit, neque est simulatio neque ostentatio, sive ipse sive alius ex ipsius sententia profitetur illud[4], quod maxime contra Epicureos intenditur: «*Non huc veni in mensam irruturus utque pecus brutum*

[1]) V. H. IX 26. [2]) V. H. IX 33. XII 25. [3]) fragm. 1.
[4]) fragm. 27.

me saginaturus neque ut adhaercseam magistratibus honoribusque et admirer aulas et epulas et principes; neque delectat me venustas humana neque lucrum peto; jam pridem enim hacc puerorum nugae fabulaeque esse mihi videbantur». Eandem voluptatem donorumque fortunae contemptionem ostendit in Nat. An. epilogo, ubi profitetur se unam scientiam perfectam adipisci malle, quam laudatas ditissimorum opes possidere. Cum Stoicis consentit in laude animi contenti et moderati[1]), in vituperatione luxuriae[2]) libidinis[3]) avaritiae[4]).

Pro animo religionibus nimis dedito non putandus est Aelianus ei philosophiae assensus esse, quae a sua de divinis rebus opinione abhorreret. Restat igitur, ut de diis rerumque natura Aelianus consensisse cum Stoicis demonstretur. Iam supra[5]) illustratum est ad Aeliani de summis rebus opinionem recte judicandum magni esse momenti illam verecundiam, quae prohibeat eum, quominus cogitando et perquirendo in imam naturam penetret. Persuasum sibi habet Aelianus esse in tota natura aliquid superioris ingenii et potentiae, quod quidem sanctum atque arcanum propter religionem ab investigatione et perquisitione procul habenda sit[6]). Praesertim in animalibus talem vim superiorem latere opinatur, quamobrem saepe iis singulares virtutes praestantiamque miram attribuit, cujus rei infra plura exempla afferentur[7]). Ut draconem compluribus locis divinationem artemque vaticinandi possidere dicit, et, id quod ad hanc quaestionem imprimis pertinet «*Draco*, inquit[8]), *sanctissime cultus aliquantum divini habet neque utile est eum videre*». Hujus religiosae verecundiae nulla alia esse potest causa, nisi quod deos in ipsa natura latere et in omnibus mundi partibus contineri credit. Qua cum re convenit id, quod non extra naturam esse putat vim creandi et cum consilio regendi, sed in natura ipsa, quum dicat[9]) de partu canium: «*Hac in re natura philosophari* (φιλοσοφεῖν[10]) *videtur, quae id quod*

---

[1]) V. H. V 5. X 2. VII 9. XI 9.
[2]) N. A. III 42. V. H. X 9. IX 24. III 14. [3]) V. H. IX 8. 9.
[4]) V. H. X 15. [5]) p. 23. seqq. [6]) N. A. IX 35. VIII 28.
[7]) cap. V. [8]) N. A. XI 17. [9]) N. A. IX 5.
[10]) i. e. sapiente deliberatione uti.

semen edit, praeferat ei, quod concipit». Hac autem Aeliani sententia nihil magis congruit cum Stoicorum doctrina, qui deum cum natura adeo conjunctum esse docebant, ut deus in omnibus rebus contineatur, ipse omnium rerum anima, deus mundusque unum sit. Quare eorum opinione omnes res, id quod Aelianus imprimis in animalibus animadvertit, divinae sunt, nam in omnibus est deus. Eandem ob rem omnes res optime factae sunt neque quidquam melius fieri potest, quam natura est, nisi quod sua sponte ab hac absoluta naturae perfectione cedere potuit, ut homines. Itaque Aelianus et admiratur naturam[1]) et reprehendit homines[2]), qui a vita cum natura conveniente discedant; qualis vitae exempla apud animalia invenit, quae persaepe hominibus ad imitandum proponit. Etiam si quid malum esse dicit[3]) in natura, non dissentit a Stoicis, qui malum necessariam condicionem esse boni ideoque ad absolutionem naturae pertinere contendebant. Ut Stoici ipsi in incerto relinquunt, qualis sit deus et quo modo agat in rebus, quum mox aethera mox ignem mox spiritum eum appellent, sic Aelianus certi quicquam de illa secreta et divina naturae vi dicere nec vult nec potest, sed satis habet eam cognoscere et admirari. Denique quod vitam parvi aestimandam mortemque non timendam esse censet, Aelianus Stoicorum doctrinam sequitur, qui interitum non esse, sed omnia tantum mutari aeterno cursu et hanc ob rem mortem non esse dolendam censebant. Itaque Aelianus non modo iis assentitur[4]), qui vitae mala voluntaria morte fugienda esse putaverunt, ut Calano, sophistae Indico, cujus mortem laude dignam et admirabilem praedicat, sed etiam faustum naturae donum iis animalibus obvenisse putat, quorum vita celeriter finiatur, ut animalium unum diem viventium (ζῶα ἐφήμερα). «*Ergo*, inquit[5]), *natura iis dedit vitam inire, malis autem ejus celerrime eripit, ne suam miseriam sentiant neve alienae testes fiant».* Quibus rebus illustratur, quam obrem Aelianus profiteatur[6]): «*Totam vitam teruncio* (τριτημορίου) *existi-*

[1]) N. A. I 13. 18. 59. II 11. [2]) N. A. I 43. III 46. IV 43. 44.
[3]) N. A. I 54. III 19. VII 19. [4]) V. H. V 6. III 37. N. A. V 34. III 47.
[5]) N. A. II 4. [6]) fragm. 178.

marem, nisi haberem propinquos meos». Nam vitam hominum fere omnium defectionem esse putat a naturae institutis, ad quae morte redeundum esse.

Ut brevibus complectar eas res, in quibus Aeliani ipsius philosophia continetur, primum illud momentum observandum est, quo a Stoicis quoque abhorret, quod libertatem philosophandi posthabet religioni. Ab eo, quod summum est totius philosophiae, a diis, mundi origine, natura rerum investigandis propter pietatem plane desistendum esse censet. Ipse de iis rebus, in quibus cognoscendis philosophi summum studium ponebant quaeque incertae et obscurae philosophiam excitarant, dubitare non audet: num dii sint, et si sint, utrum securi in secreto vivant an res hominesque regant. Ita pro certo habet Aelianus deos esse mundumque ab iis regi, ut et omne philosophiae genus, quod cum dubitatione has res perquirat, detestetur et plurima hominum mala ad hanc impietatem revocanda esse putet. Hanc ob rem non in rerum investigatione versatur Aeliani philosophia, sed quum salutem hominum constare opinetur in restituenda pietate ceterisque publicis ac privatis virtutibus, ad vitam hominum vertit suam doctrinam.

Hac eadem re illustratur, cur tanti aestimet Socratem. Hic quoque se abstinens a deorum naturaeque contemplatione cui priores philosophi studuerant, ad vitae sapientiam hominumque mores praecepta sua verterat, licet causa minime eadem fuisset. Nam Socrates permotus erat re fere contraria, quum non ut Aelianus sacrosancti quidquam in natura esse, sed naturam mente ae ratione carentem philosophi quaestione indignam esse censeret. Sive ignota fuit Aeliano haec causa, qua Socrates a natura contemplanda retentus est, sive negligere eam voluit, eadem res nobis occurrit in Socratis descriptione, quae in Aristotelis Platonis Zenonis, ut de moribus viri loquatur, de philosophia taceat. Mores Socratis summa laude effert, quibus haud minime permotus esse videtur ad homines sui temporis virtutes docendos. Appellat [1]) eum *«optimum Graecorum, virum omnibus diis*

---

[1]) V. H. II 13.

maxime Apollini carum, probum, justum, bonum, sapientem»; diem, quo natus sit Socrates, faustum Atheniensibus fuisse dicit [1]), qui, si aures praebuissent ei, ut multo feliciores omnibus in rebus fierent futurum fuisse [2]). Multis locis Stoicae sunt virtutes, quas laudi ei tribuit: «*Aeque*, inquit [3]), *omnibus rebus se accommodabat, semper miti erat animo, omni luctu omnique timore superior*». — «*Vir gravis, qui contemnit id, quod vulgus mensae decus epularumque ornamentum habet*» [4]). Quum multi [5]) loci Socratis laudem, nullus vituperationem contineat, verisimile est Aelianum de eo, quod ille opinatus est de diis, in incerto fuisse; nam aliter mirandum esset, quod tam acerbis conviciis persequitur propter Socratis impetus Aristophanem propugnatorem veteris moris patriorumque deorum. Nam quamquam certi nihil novit de iis rebus, quae permoverint Aristophanem ad ludificandum Socratem, sibi in suspectum venisse illum dicit [6]), quod pecunia corruptus hoc fecerit. Optime autem haec res illustrat, quanti aestimaverit Aelianus Socratem, cujus ipse praecepta, ut infra demonstrabitur, non minus quam Stoicorum secutus est.

Minus, quam quos philosophos secutus sit Aelianus elucet ex scriptis, quam opinionem habuerit de ceteris artibus litterisque sui temporis et quantum iis studuerit.

Quum ipse rhetor esset et inter rhetores excelluisse eum et magni habitum esse cognomen sophistae ostendat, non est mirandum nullam apud eum corruptae artis rhetoricae morumque rhetorum vituperationem reperiri. Nam ipse non carebat vitiis, quae objicienda sunt illius temporis rhetoribus, quorum primaria erant abstinentia vitae publicae officiorum ac solum venuste copioseque loquendi studium. Quod parvi aestimabat oratores, qui in publicum progrediebantur et in republica artem suam adhibebant, non alienum erat ab eo, qui omnino forensi luci carebat; quamobrem

---

[1]) V. H. II 25. [2]) V. H. XII 25. [3]) V. H. IX 7.
[4]) V. H. XI 12.
[5]) V. H. I 16. II 1. 36. III 27. 28. IV 15. XI 29. fragm. 3. 4.
[6]) V. H. II 13.

«oratores publicos et populares vulgi servos esse» dicit [1]. In hac re ipsum tempori suo assensum esse neque procul fuisse a ratione plerorumque rhetorum, qui omnibus negotiis neglectis verborum ornatum orationisque florem petebant et re et verbis ipsius planum fit. Compluribus enim locis ita loquitur copiose atque abundanter, ut appareat minus ipsa res, quam narrat, curae ei fuisse, quam ut lectissimis verbis utatur. Ut Tempes vallis descriptioni nulla alia de causa tantum operam navasse videtur, nisi ut vim praestantiamque illustrati sermonis ostendat; initio enim *«Constat,* inquit [2], *sermonem, si vim habeat demonstrativam, haud minus artifice idoneum esse ad omnia, quae velit, fingenda».*

Licet autem Aelianus, quoniam cum Stoicis prae sapientia omnia parvi aestimabat et cum rhetoribus e vita publica in scholam se recepit, artibus elegantioribus non studuerit, tamen haud plane abhorruisse videtur ab artibus et disciplinis. Poetas Graecorum et praecipue tragoedos notos ei fuisse judicioque de operibus haud imparem eum fuisse demonstrant multae animadversiones in Nat. An. factae, quae ejus opinionem de tragicis poëtis satis illustrant. Quod inter tres magnos Graecorum tragoedos Euripidem solum laudi afficit, Aeschylum et Sophoclem paucis tantum verbis memorat, offendere potest, nisi casu hoc factum esse putes. Sed quum id, quod nonnullis locis quasi objicit poëtis tragicis, aptum sit ad Aeschylum et Sophoclem, non ad Euripidem, ipse magis cum hoc quam cum illis consentire existimandus est. Cujus rei summa causa aeque ac in philosophis judicandis ab Aeliani religiosis sententiis repetenda est ac repeti potest. De rebus divinis nec quaerere nec multum disserere bonum esse censet; Aeschylus Sophoclesque et quaesiverunt et disseruerunt. Nisi opinaretur gravioribus et altioribus verbis tragicos poëtas saepe usos esse, certe non hoc diceret [3] de re silentio a se ipso oppressa: *«Quae fecerit dicere vel tragica Musa cunctetur».* Item saepe a veritate virtutibusque naturae recessisse tragoedos putat, quamobrem naturam animalium exemplum iis proponit. *«Interrogemus,*

[1]) V. H. IX 19. [2]) V. H. III 1. [3]) fragm. 298.

inquit [1]), *tragoedos et ante eos fabulatores, quo consilio tantam inscientiam imposuerint Lai filio»* etc. Narrationem de aliquorum piscium amore conjugali his verbis concludit [2]): «*Quid ad hanc rem dicunt poëtae, qui Evadnen et Alcestim gloriose queruntur»?* — «*Vipera peredit ilia matris atque exit statim ultrix patris. Quid sunt Orestes atque Alcmaeones prae illa, cari tragoedi»* [3])? — Inter omnes has tragicorum operum allusiones nulla est Euripidis, quem certe eadem de causa ceteris poëtis tragicis praefert, qua Socratem plerisque philosophis. Tanti habet ejus opera, ut magno dedecori Atheniensibus ducat, quod aliquando in tragico certamine alii poëtae praemium tribuerint. «*Nonne,* inquit [4]), *ridiculum est Xenoclem victorem Euripidem inferiorem discedere talibus tragoediis scriptis»?* et hanc ob rem aut desipuisse aut corruptos fuisse judices certaminis contendit. Etiam Socrati carum fuisse Euripidem propter sapientiam et in arte poëtica praestantiam [5]). Inter reliquos poëtas, quorum saepe versus vel dicta affert [6]), summa laude effert Homerum. Eodem quo Euripidem cognomine eum ornat: «*decore Homere* (καλὲ Ὅμ.)». [7]), quo nomine et praeclarum animum et artem poëticam praedicat. De arte ejus «. . . . *Vitae,* inquit [8]), *Phaeacum, quam Homerus pro excelso suo animo, uti solebat, tragice illustravit»*. Multum versatum fuisse Aelianum in poëmatibus Homericis legendis multumque auctoritatis poëtae attribuisse efficitur ex eo, quod non modo saepe mentionem facit ejus [9]), sed etiam verba poëtae interdum testimonio utitur ad probandam aliquam rem [10]). Contra si, id quod raro fit, non assentitur verbis ejus, cui auctoritatem tribuat, jocatum eum esse dicit [11]).

De ceteris quoque artibus liberaliter et partim intelligenter

---

[1]) N. A. III 47. [2]) N. A. I 15. [3]) N. A. I 24. [4]) V. H. II 8.
[5]) V. H. II 13.
[6]) N. A. VII 39. XII 7. 10. 45. XIII 4. XVI 24 etc. [7]) N. A. VI 15.
[8]) V. H. VII 2.
[9]) V. H. VII 2. IX 15. VI 9. 10. 18. XIII 1. 13. 21.
[10]) V. H. XIII 2. N. A. IV 45. V 38. 39. 45. VI 6 VII 23. vid. p. 44.
[11]) N. A. VII 28. IV 40.

judicat Aelianus. Laudat studium artis augendae atque illustrandae: «*Non modo dignum est*, inquit[1]), *domum opesque augere, sed etiam artem, siquidem audienda sunt verba bona et pulchra*» etc. Artis scientiam et judicandi peritiam minime ei defuisse demonstrat praeclara Theontis pictoris operis cujusdam descriptio[2]), quae tam est artificiosa et vivida, ut legentes picturam conspicere nobis videamur. Contra cum ridicula quadam gravitate id dictum est, quod contemplanti sibi artis opera in cogitationem venire profitetur[3]). Nam «*Artis opera*, inquit, *haud temere specto, neque statuas neque picturas; est enim in iis quaedam sapientia artificii* (ἔστι γάρ τι τῆς χειρουργίας σοφὸν καὶ ἐν τούτοις»). Quae quum ex aliis multis tum ex hoc cognosci potest: «*Nullus umquam neque pictor neque statuarum artifex suscepit Musarum, Jovis filiarum, simulacra false perperam modo Jovis filiis alieno nobis praeponere*» etc. — Musas permagni aestimat neque musica arte alienus fuisse videtur, quod quidem pro pietate et religione sua singulari cum ridenda verborum pompa exprimit[4]): «*Qui sunt probi musicaeque artis periti sepeliunt corpora* (sc. delphinum mortuorum atque a sociis ad litus portatorum) *colentes canendi amorem delphinorum; qui autem procul sunt a Musis Gratiisque, negligunt illos. Ignoscite, cari delphini, feris moribus hominum, quoniam Athenienses etiam Phocionem probum insepultum abjecerunt... Hoc enim animal omnivorum* (sc. homo) *ne vobis quidem parcit, sed in sale vos ponere audent negligentes hoc fieri invitis Musis, Jovis filiis*». Haec invectio grandiloqua haud male finem facere mihi videtur eorum, quae de arte scientiaque Aelianus senserit, quum bene illustret id, quod in extrema hujus opusculi parte probaturus sum: primum locum in omnibus Aeliani sententiis obtinuisse religionem.

---

1) V. H. IV 2. vid. p. 41. not. 8. 2) V. H. II 44.
3) V. H. XIV 37. 4) N. A. XII 6.

Cap. V.

De bone et malo quid senserit Aelianus.

«*Hominem sapientem et justum et liberis suis providissimum esse et parentibus debitam curam attribuere et cibum sibi quaerere et insidias cavere et quae sunt ei alia naturae dona: haec fortasse mirabilia non sunt. Nam homo et mente, re omnium pretiosissima, et cogitatione praeditus est, quae maxime est idonea atque utilis; deos vero scit colere atque vereri. Animalibus autem mente carentibus esse natura virtutem quandam multaque admirabilia hominum bona obvenisse, hoc magnum est*».

Haec verba prooemii Nat. An., quibus scriptor causam vult probare, qua ad naturam animalium tanta diligentia describendam sit permotus, singulariter demonstrant, quam sententiam in judicandis hominum virtutibus vitiisque Aelianus secutus sit; quae sententia non minus abhorret a communibus de hominum moribus sententiis, quam congruit cum Aeliani de deorum rerumque natura opinione. Quum videat Aelianus animalibus permultas esse virtutes, quae homines deficiant, contra homines infectos esse innumeris vitiis, quibus animalia libera sint, longe praestare censet naturam animalium hominum naturae. Homini mentem et cogitationem datas esse existimat, ut illas virtutes animalibus natura datas arte sibi comparet. Hanc ob rem quamquam «*pretiosum donum*» mentem esse concedit, tamen multo plus laudis atque admirationis attribuit naturae animalium, quae illo pretioso dono carentia tamen eadem omnia nacta sint sapientia naturae, quae homini aegre et laboriose petenda sint. Quodsi adeptus est homo virtutes, haud magnae laudi esse ei possunt, quia mens eum juvat; si non adipiscitur, magno est ei dedecori, quia animalibus deterior est. Liberam hominis voluntatem nihil aestimat, quae majores virtutes gignere non possit, quam quas naturae necessitas omnibus animalibus dederit. Contra haec voluntas libera ad vitia sceleraque hominem ducere potest et saepe ducit, id quod ab animalibus eadem naturae necessitas arcet. Nam pauca illa

mala, quae extra hominem in natura occurrunt, ad totius mundi absolutionem necessaria sunt; hominis vitia perfectioni naturae obstant, quae mentem ei dedit ad vitia vitanda. Cujus rei consideratio necessaria nobis est ad recte intelligendum, quomodo fieri potuerit, ut Aelianus toties optimorum hominum virtutes admirabiles minoris aestimet, quam animalium exiguorum, et omnia, quae inter homines bona atque pulchra sunt, paene negligat et contemnat prae animalibus, quae ad imitandum hominibus proponere in Nat. An. non desinit. Nam ejus opinione non modo admirabilis naturae necessitas animalia ad bene prudenterque faciendum impellit, sed etiam particeps est magna pars eorum considerationis et cogitationis (λογισμός). Quae opinio quum toto fere opere illustratur, tum expressis verbis profertur compluribus locis [1]). «*Deis animalia curae esse — et id proprium est animalium bonum. Dei iis consulunt neque contemnunt neque negligunt. Etiamsi enim impertia sunt mentis* (λόγου), *cogitatione et quantum ad ea pertinet prudentia non egent*». Tamen, quia vim naturae in animalibus apparentem multo pluris habet cogitatione, virtutes animalium illi necessitati quam cogitationi mavult tribuere [2]). «*Utrum natura cuique ceto hunc piscem* (sc. socium ac ducem) *adjunxerit, an hic sua sponte amicitia permotus accesserit, nescio; sed potius credo necessitatem esse naturae*». Vel eas virtutes, quae communes sunt animalibus cum homine, multo majori laudi illis dat, quia natura, non arte, possideant. «*Pisces*, inquit [3]), *o homines, illud faciunt amore non instructo sed innato*»! — «*Orcynus* (magnus piscis marinus) *haud ignarus est earum rerum, quae utilissima ei sunt, quod donum natura, non arte, nactus est*» [4]). — «*Quod hominem pudet ignavum apparere, non admirandum est; perdici autem pudorem esse maxime est venerabile naturae donum*» [5]). Permulti sunt loci, quibus animalia praestare hominibus probare studet [6]). Posthabet hominis naturam agnis [7]), quoniam in-

---

[1]) N. A. XI 31. VI 50. VIII 17. [2]) N. A. II 13. [3]) N. A. I 4.
[4]) N. A. I 40. [5]) N. A. IV 1.
[6]) N. A. I 18. VI 10. VII 8. III 15. 23. IV 41. etc. [7]) N. A. V. 25.

fans minus celeriter parentes noscere et distinguere discat; feris[1], quoniam ad virtutem et fortitudinem incitatione opus sit multis hominibus; myricis[2], quoniam hae impigrae sint. Aegyptias feminas pudeat oportere dicit[3], quia canibus impares sint in facultate operum faciendorum statim postquam pepererint. Ut est injustus Aelianus contra hominum virtutes, ita temere omnia ab animalibus bene facta, licet longe aliis de causis: fame, timore, casu acciderint, virtuti cuidam eorum attribuit. «*Homines hoc facere (sc. se parare ad certamen) vel lucri vel famae gloriaeque causa haud ita admirabile est; tauro autem tauri victori, o Aristonis fili, quae praeconia promulgantur? quae praemia addicuntur*»[4]? Innumeris in rebus, et magnis et parvis, animalia laude effert, hominibus opprobrat vitia et scelera. Decori habet animalibus fidem conjugalem[5], amorem partorum[6], amicitiam[7], pudorem[8], sollertiam[9], prudentiam[10], multa alia. Vituperat hominum inertiam[11], perfidiam[12], propinquorum negligentiam[13], immoderationem[14], crudelitatem[15], incestum[16], impietatem[17], alia[18]. Maxime iram doloremque Aeliani excitat, quod homo, quas indoles natura ei inseverit, negligat et pessumdet, quum animalia ad virtutes se instruant. «*Ego*, inquit[19], *non habeo fidem iis, qui male judicant de naturae bonis, quae si animalibus mente carentibus benevolentiam et favorem dedit, certe etiam magis mente praebito hoc attribuit . . . . . Ego quidem doleo, si canis fidelior et benevolentior homine appareat*». Qui dolor minime impedit Aelianum, quominus etiam iis narrationibus, in quibus reperiatur aliquod animalis vitium, adjungat majus hominis vitium, interdum per vim arcessitum. «*Aspidis*, inquit[20], *morsus, in-*

---

1) N. A. VI 1. 2) N. A. IV 43. 3) N. A. VII 12.
4) N. A. VI 1. 5) N. A. I 13. 6) N. A. I 18.
7) N. A. III 46. 8) N. A. III 47. 9) N. A. I 59.
10) N. A. III 15. VI 58. 11) N. A. IV 43.
12) N. A. VII 10. VI 63. IV 44. 13) N. A. V 6. 14) N. A. V 29.
15) N. A. VI 2. 16) N. A. VI 39. 17) N. A. VI 40.
18) N. A. VI 13. VII 11. VII 28. IX 7. 19) N. A. VII 10.
20) N. A. I 54.

sanabilis et auxilio superior esse dicitur. Odio dignum est animal propter hanc mali praestantiam. Sed hoc animali magis scelesta est minusque caveri potest mulier venefica» etc. Ne iis quidem heroibus veterisque temporis hominibus, quorum praeclare facta vel dicta a scriptoribus magni aestimatis tradita erant, praestantiam vult concedere, sed operam dedisse videtur, ut omnia obscuret [1]) virtutibus animalium. Oreste [2]), Tiresia [3]), Damonte [4]), heroibus quibusdam Graecis [5]), Ulixe [6]), Laio [7]), Nestore [8]) excellentiora animalium exempla profert et quaerit cum quadam miratione ex Homero et Euripide, quomodo illi heroes suis animalibus pares esse putari possint. Sin omittamus hanc miram hominum atque animalium in Aeliani opinione discrepantiam, quae hominum virtutes animalibus posthabere eum movet, et quas laudat virtutes et quae vitia eum offendunt, fere in omnibus ei assentiendum est.

Quum incredibilissimas res cum specie fidei referat, haud magis quam alii illius temporis scriptores veritatem secutus esse facile putari potest. Nam Pausanias Lucianus Athenaeus haud raro id, quod falsum esse non ignorent, pro vero narrant nulla alia de causa, quam quod et se ipsos et eos, qui legant vel audiant, delectare volunt, quum superstitio portentorumque cupido tanta esset, ut vix ulli rei mirae prodigiosaeque fides negaretur [9]). Aelianus autem in horum scriptorum numero ita non habendus est, ut ipse fere omnia, quae legit apud alios, pro vero accipiat et saepe miro et ridiculo modo credulum se praebeat. Ne exiguam quidem rem, quin veram habuerit, eum retulisse quum animo viri severo proboque tum aperto veritatis amore fingendarumque rerum expresso odio probatur. Quas ob causas sine dubio omnibus rebus portentosis fabulosisque, quamlibet nobis sint incredibiles, plenam fidem habuisse et ridicula ejus temporis credulitate minime caruisse putandus est [10]).

---

[1]) N. A. VI 61. [2]) N. A. I 24. [3]) N. A. I 25. II 3.
[4]) N. A. II 11. [5]) N. A. V 1. [6]) N. A. V. 54.
[7]) N. A. VI 15. [8]) N. A. X 8. [9]) vid. p. 19 seqq.
[10]) vid. p. 8 seqq.

Ejus ipsius operis, quod fere nullam rem dubitatione liberam continet, epilogo addit affirmationem «*quum aliis in rebus, tum in his veritatem curae sibi esse*», in eodemque scripto «*philosophum ardentemque veritatis amatorem*» se esse dicit [1]), «*quem virum minime deceat fabulas fingere et ad animalia laudanda contra naturam mentiri*». Narrationi Alexandri Myndii, qui ciconias ad senectutem provectas in hominum naturam mutari et Fortunatas Insulas habitare refert, his verbis fidem tribuit [2]): «*Haec fabula esse mihi non videtur. An quo consilio Alexander hoc mentiretur nullius lucri causa? Ceterum vero non decet prudentem virum mendacium praeferre veritati, ne summum quidem lucraturum, nedum sine lucro hanc ob rem in laqueos illapsurum*». Aequalium suorum fingendi amorem fabularumque studium significat [3]) hoc modo: «*Ubi umquam elephantus patrem suum plagavit? Ubi inter hos pater filium a se expulit? Fortasse, o homines, fabulas narrare vobis videor, qui estis — si verum volumus dicere — fictores et poëtae incredibilissimarum fabularum*»*!* Quo cum amore veritatis bene consentiunt et virtutes ab Aeliano praedicatae et vitia ab eo reprehensa [4]), quae virum liberali ingenuoque animo eum fuisse probant. Non modo ad delectandum multas res mirabiles contulit, multa clarorum virorum dicta factaque, multas animalium virtutes descripsit, sed etiam ad imitandum vult proponere id quod bonum est, deterrere [5]) a vitiis sceleribusque exemplis nefariorum studet. «*Haec,* inquit [6]), *non rettuli, quia otium mihi est malorum occurrentium mentione dignandorum, sed ne alii idem faciant*».

Post pietatem erga deos verecundiamque potentiae superioris tota in natura latentis plurimi habet cum Herodoto moderationem continentiamque, maxime odit intemperantiam et superbiam. Quamobrem vituperat omnia, quae animum hominis nimis efferre et illa immodica superbia eum afficere possint: divitias luxuriam potentiam libidinem.

---

[1]) N. A. II 11. [2]) N. A. III 23. [3]) N. A. VI 61.
[4]) vid. p. 40. [5]) V. H. VI 12. fragm. 63. [6]) fragm. 26.

Itaque ambitionem nominat [1]) «*geniorum pessimum* (δαιμόνων κακίστη»), quia ad nimiam cupidinem impellat homines neque contentos moderatosque eos esse patiatur. Linguam ipsam coërceri necesse esse, ne nimis efferamus nos neve deos offendamus, qui «*propter linguae continentiam* (εὐφημίας χάριν) *Lacedaemonem pluris habent Athenis*» [2]). Eandem ob causam Aelianus ipse multo pluris aestimat Lacedaemonios Atheniensibus, id quod interdum acri modo patefacit [3]). Exprobrat Athenienses «*natura invidos esse et libenter calumniari non modo optimos viros in republica*» [4]), ingrato animo esse erga bonos cives, mobili in republica, in ea quoque re superbos se praestitisse, quod res secundas sapienter ferre non potuerint [5]). Contra Lacedaemonios laudat et saepe Atheniensibus anteponit, quia utilibus rebus tempus consumerent neque otium gererent [6]), injurias aequo animo ferrent [7]), bonis legibus uterentur [8]). Itaque quamquam laude quoque Atheniensium non abstinet se Aelianus, tamen manifestum est multo magis ei placere leges moresque Lacedaemoniorum; imprimis horum continentiam severitatem modestiam longe praefert Atheniensium libidini levitati jactationi. Quae res, quamquam haud omnibus in partibus justum est judicium, tamen Aeliani ipsius mores illustrare potest. Desiderat simplicis veteris temporis mores: fidem constantiam animum contentum moderatumque, quae omnia sui temporis luxu mollitie aviditate exstincta atque oppressa sint. Hanc ob rem laudibus effert animum liberum Themistoclis [9]), pietatem Aeneae [10]), Leonidae mortem gloriosam [11]), Phocionis probitatem [12]), mulieris ejus modestiam [13]), aliorum gratum animum [14]), temperantiam [15]), animum placabilem [16]), fortitudinem [17]), justitiam [18]);

---

[1]) fragm. 122 fin. [2]) fragm. 267.
[3]) V. H. II 9. III 8. 47. V. 13. fragm. 267. [4]) V. H. II 13.
[5]) V. H. VI 1. [6]) V. H. II 5. [7]) V. H. II 15.
[8]) V. H. VI 6. [9]) V. H. III 21. [10]) V. H. III 22.
[11]) V. H. III 25. [12]) V. H. II 16. [13]) V. H. VII 8.
[14]) V. H. IV 5. [15]) V. H. II 38. [16]) V. H. XII 49.
[17]) V. H. VI 2. [18]) V. H. V 18. XIV 34. fragm. 25.

vituperat luxuriam[1]), immoderationem[2]), pecuniae cupiditatem[3]), nimiam in rebus exiguis diligentiam[4]). Quibus omnibus in rebus consensit cum Stoicis, ut supra[5]) indicatum est, et maxime quidem in divitiis contemptis: «*Optimi*, inquit[6]), *Graecorum totam vitam in paupertate degerunt. Nunc prorsus laudent aliqui divitias, postquam optimi Graecorum per totam vitam paupertatem sortiti sunt*»! Quum pluribus locis contemptionem divitiarum ostendat, haec verba[7]) valde offendunt: «*Non modo rem familiarem opesque augere, sed etiam artem juvare honestum* (σεμνόν) *est*». Nam si intelligamus Aelianum opum amplificationem honestam esse censere, magnopere dissentiat haec sententia a superiore. Quae dissensio quum alio modo tolli non possit, mihi quidem haec divitiarum laus non ad Aeliani sententiam, sed ad communem hominum existimationem referenda esse videtur[8]), quam non ad opes solas, sed etiam ad artem pertinere scriptor vult dicere.

Odio, quo incensus est Aelianus praesertim eorum vitiorum, quae, quia animalia iis careant, eo majori hominibus esse dedecori opinatur, haud raro ad acrem iram exprobrationemque hominum incitatur[9]). «*O homines*, inquit[10]), *semper petentes mensarum sonique catillorum et cursantes ad prandia, qui in periculis proditores nequicquam et temere amicitiae nomen hiatis*»! — «*O homines, qui innumeras simulationes causasque inertiae fingitis*[11])»! — «*Homo autem mente praebitus et cogitatione dignus habitus . . . . . amici fit gravis hostis et, quae secreta ei commissa sunt, levissima et fortuita causa prodit*» etc.[12]) Tamen homines odisse vel miti animo caruisse non existimandus est Aelianus, nam quum ipse dicit[13]) se amare homines, tum et assensu et improbatione saepe lenitatem et clementiam ostendit[14]). Tantum contra impios deorumque con-

---

[1]) V. H. I 18. 19. IX 3. [2]) N. A. III 42. V. H. IX 13. 24.
[3]) V. H. X 15. [4]) V. H. II 27. [5]) vid. p. 27 seqq.
[6]) V. H. XI 9. [7]) V. H. IV 2.
[8]) Nisi, id quod mihi quidem videtur, μόνον et καὶ delenda esse putantur. [9]) N. A. I 13. VIII 3. IX 7. [10]) N. A. III 46.
[11]) N. A. IV 43. [12]) N. A. IV 44. [13]) N. A. IX 27.
[14]) V. H. I 30. II 7. 9. V 11.

temptores magna est asperitate, id quod haec invectio illustrare potest[1]: «*Ita eum describam, ut convenit neque dedecet: invidum, avarum, lucri cupidum, lentissimum in bono, avidissimum, maxime incensum ad perniciem suorum. Sed corruptus perditus infamia aspersus in malam pestem abiit, dignum praemium ejus nefariae, qui scelestus et sicut sceleratus decessit, postquam inimice judicans multos injuste damnavit, haud veritus deorum poenam, haud respiciens Adrasteam neque Nemesim timens*».

Quamquam est Aeliano nonnullarum rerum aliquorumque hominum naturale quoddam ingeneratumque aut odium aut studium, tamen his rebus ad injustitiam adductus esse perraro cernitur. Plerumque neque eorum, quibus favet, vitia celare neque a quibus alienus est meritam laudam eripere vult. Ut de Alexandro[2]), Pindaro tyranno[3]), Philippo rege[4]), Aristotele[5]), aliis interdum[2]) ita judicat, ut et ira et studio vacare eum manifestum sit. Tamen effugere non potest crimen maledice contumelioseque dicendi, quum et Aristotelem et Aristophanem, quamvis justam causam non habeat, gravi infamia afficiat. Aristotelem re familiari profusa militiaque turpiter deserta furtim in Peripatum ingressum Platonis instituta audivisse et hoc modo sapientem factum esse dicit[6]). Licet hanc narrationem ab aliis traditam nimia credulitate ab Aeliano acceptam esse putemus, certe id, quod false objicit Aristophani, excusationem non habet. Nam ira impletus propter Socratem illusum a poëta: «*Verisimile est,* inquit[7]), *hac re lucrum quoque fecisse Aristophanem. Quum enim illi ..... omni modo calumniari vellent Socratem, A r i s t o p h a n e s a u t e m e t p a u p e r e t n e f a r i u s e s s e t, quid mirum eum pecuniam accepisse pro re minime sana*»? Quae calumnia non traditioni ulli, sed Aeliano ipsi tribuenda est.

Quam ob causam Aelianus tam studiose diligenterque multarum nationum narratiunculas collegerit, tam raro patriae

---

[1]) fragm. 325. [2]) V. H. III 23. [3]) V. H. III 26.
[4]) V. H. VI 1. XIV 49. VIII 15. VII 12.
[5]) V. H. XII 54. XIV 1. IV 9. III 19. [6]) V. H. V 9.
[7]) V. H. II 13.

suae mentionem fecerit, supra[1]) demonstratum est. Hoc loco breviter quaerendum est, quare ad tantum Graecorum studium et amorem adductus sit. Certe haec quoque res maxime eo referenda est, quod Stoicis Aelianus erat imbutus institutis. Quum Stoici primi officiorum virtutumque praecepta non ad patriam et rempublicam, sed ad communem totius generis humani naturam retulissent, illi initium fecerant ejus rationis, quae aequo jure eisdemque officiis non modo uniuscujusque reipublicae sed totius orbis homines complecti petebat[2]). Quamombrem Stoici patriae soli omnem praestantiam tribuere peregrinosque ut inferiores minoris existimare desierant et omnes homines judicabant e communibus virtutibus, sive cives erant, sive peregrini. Itaque nullam causam habere sibi videtur Aelianus Romanorum historiae aliis praeferendae, sed mores leges dicta facta laudat admiraturque, quaecumque ei placent et ubicunque occurrunt. Praesertim eum delectant Graeci propter majorem animi elegantiam sapientiam artium litterarumque scientiam, quo factum est, ut longe maxima Variae Historiae pars de Graecis hominibus rebusque scripta sit et judicia scriptoris laudantia vel improbantia fere in his solis reperiantur. Quantopere opinatus sit Aelianus optima pulcherrimaque apud Graecos esse, ea re probatur, quod, quum quid bene factum vel sapienter institutum esse refert, «*Graecum*» id esse dicit: «*Ismeniae facinus prudens et Graecis dignum* (Ἑλληνικόν) *silentio non praeteream*»[3]). — «*Stagiritis haec est lex Graecis dignissima* (πάντη Ἑλληνικόν)» etc.[4]) Etiamsi vituperandae esse propter levitatem crudelitatem alia vitia nonnullae urbes ei videntur, cum dolore quodam et cunctanter vituperat nisi divinis legibus laesis. Pulchre hoc Graecorum honestatis studium suum his verbis[5]) ostendit: «*Phrynae amicae Graeci statuam posuerunt Delphis in excelsa columna. Vel potius non simpliciter Graecos dicere volo, ne omnes videar arguere, quos prae universis diligo, sed nonnullos Graecorum viros immodicos*». Item compluribus rebus memoratis, quibus crudeles Athenienses se praestiterant,

---

[1]) vid. p. 17. [2]) quod nos vocamus Kosmopolitismus.
[3]) V. H. I 21. [4]) V. H. III 46. [5]) V. H. IX 32.

cum dolore exclamat[1]): «*Vellem haec neque constituta esse Athenis neque dici de Atheniensibus, o Minerva, urbis patrona, et Jupiter Liberator et omnes Graecorum dii»!* Ita studet Graecis rebus Aelianus Romanorumque neglegit, ut ei ipsi in mentem veniat hanc rem alios offendere sibique opprobrio esse posse. Hanc ob rem inter paucos eos locos[2]), quibus Romanorum mentionem facit, hunc reperimus[3]): «*Quid autem non referam legem Romanorum? Qui enim immerito neglegentiae arguar, si Locrensium Massiliensium Milesiorum mentione facta meam patriam praetermittam?*» Tamen inter ea, quae de Romanis narrat, nihil occurrit, quod illi professioni Graecorum prae omnibus dilectorum officiat. Artes quoque litterasque Graecorum magni aestimat[4]), quamombrem in poëtarum et tragicorum et lyricorum operibus multum versatur[5]). Imprimis Homerum Anacreontem Euripidem laudibus effert saepeque studiose legisse se demonstrat aut versibus quibusdam allatis[6]) aut de arte sententiisque eorum judicio facto[7]). Singulari studio et amore dicta plena salium, subtilia responsa, sententias urbanas et lepidas collegisse videtur[8]), quibus interdum expressis verbis laudem attribuit.

Sin autem ipse jocari conatur Aelianus, id quod cum gravitate quadam pronuntiare numquam omittit, raro prospere succedit. Aut minime aptae sunt ad jocandum eae res[9]), quas joco saleque vult condire, aut severa et fere morosa senilisque ejus gravitas efficit, ut quasi in ore jocus frigescat[10]). In hac tantum narratione[11]) aliquid festivitatis ab Aeliano intellectae et significatae reperitur: «*Paedagogus Sybaritanus discipulum suum ficum humo extollentem vehementer castigavit; sed, id quod maxime fuit ridiculum, ipse puero ereptum edit. Hoc in animalibus Sybaritanis legens risi; memoriae*

---

[1]) V. H. II 9. [2]) V. H. VII 21. III 34. XII 23. 33. VII 11. XIV 45.
[3]) V. H. II 38. [4]) N. A. epilog. V. H. IV 15. VII 15. VIII 2.
[5]) vid. p. 32 seqq. [6]) V. H. VI 9. XII 14. III 33.
[7]) V. H. XIII 1. IX 4. II 8. 13. V 21.
[8]) V. H. IX 36. 33. 28. XII 13. XIV 33. 47. II 16. 20. 36. III 7. 21. 32. VII 6. 10. XI 7. [9]) V. H. IV 29. N. A. XIV 4.
[10]) N. A. I 14. V. H. XIV 39. [11]) V. H. XIV 20.

trado, quia hominibus amicus non invideo aliis risum». Sed in hac quoque animi praedicatione non minus quam in his verbis: «*Scorpiones odi, homines amo*»[1]) est aliquid illius paene ridiculae gravitatis dignitatisque, qua haud raro sententias suas profert[2]).

Quibus de causis a rebus publicis plane in otium se receperit Aelianus, supra dictum est. Tamen eum virtutes publicas, munera bene gesta, vitam civibus utilem minime parvi habuisse illustratur innumeris laudibus, quibus effert homines de republica bene meritos. Eo magis mirandum est, quod legimus uno loco[3]) pecuniae patriaeque contemptionem virtutes aeque laudandas eum habere. «*Crates Thebanus*, inquit, *et aliis in rebus magno animo esse apparuit et in iis rebus contemptis, quas vulgus admiratur, scilicet pecunia patriaque*». Quae mira opinio non eo solum referri potest, quod Aelianus ipse vulgus ejusque sententias plane contemnit[4]), nam non modo vulgus sed etiam optimos viros patriae amantes fuisse non ignorat. Potius novum testimonium esse mihi videtur Aeliani cum Stoicis consensus et ejus, quod supra dictum est de Stoicorum a republica nationeque discedendi totumque genus humanum amplectendi ratione. Si ita est, non parvi aestimandam vel contemnendam esse patriam, sed majore laude dignum esse, qui aequo animo relictam patriam tolerare possit, quam qui vulgi modo glebae adhaerescat, vult dicere Aelianus. Nam tantum abest ut amorem patriae negligat, ut vel eos, qui tyrannis necatis patriam liberaverint, propter «*pulchrum facinus*»[5]) collaudet.

Quod puerorum libidinem nusquam reprehendit Aelianus, neque nimio Graecorum morum studio ejus tribuendum est, neque vitio ei esse potest. Nam quae exempla[6]) huic rei similia affert cum aperto vel tacito consensu, ne minima quidem macula affecta sunt, neque aliud quicquam continent nisi puram et laudabilem inter viros caritatem amicitiam-

---

[1]) N. A. IX 27. [2]) V. H. VII 20. 23. fragm. 109.
[3]) V. H. III 6. [4]) V. H. II 1. 6. III 7. [5]) fragm. 86.
[6]) V. H. III 10. 12. fragm. 70. 202.

que, quo nomine Pythiam ipsam Charitonis et Melanippi amorem significasse Aelianus dicit[1]).

Denique Aeliani de morte vitaque finienda sententia paucis verbis attingenda est. Quum vitam ipsam propter innumera mala parvi habeat[2]), non modo mortem non timet, sed potius ut praeclarum liberatorem eam praedicat et homines reprehendit, qui «*quod nesciunt, timent et summum malum esse putant*»[3]). Invidere videtur iis animalibus, quibus brevi post ortum mori natura dedit, «*ne suam miseriam sentiant neve alienae testes fiant*»[4]), et propter aliquod venenum lenem mortem efficiens «*Indi,* inquit[5]), *hac possessione fortunati sunt, quum hoc carcere liberare se possint, quandocunque volunt*». Ipse voluntariam mortem laudat et sine dubitatione iis assentitur, qui ad vitae mala effugienda mortem sibi consciverunt. «*Laude digna est Calani Indi mors; vel admirabilem alius quis appellet eum*»[6]). — «*Imprudens etiam hac in re erat Oedipus, quod non mortem sibi conscivit . . . . . neque intellexit omnibus malis solvi sibi licere*»[7]).

Cap. VI.

Aeliani de rebus divinis quae fuerit sententia.

Eisdem de causis, quibus multi Aeliani aequales non unius philosophi sectam sequebantur, sed multorum instituta miscebant, etiam plures cultuum religionum caerimoniarum mirae farragini se dabant, qua re incredibilis superstitio rerumque mysticarum studium effecta sunt.

Temporum miseria magis alio tempore homines incitabat, ut quod extra se ipsos reperire non poterant in republica neque in societatis humanae moribus: solatium calamitatis bonamque spem futuri temporis in se ipsis quaererent. Adipisci poterant aut philosophia aut religione. Utraque autem numquam magis quam illo tempore caruit iis rebus, quae

---

1) V. H. II 4. 2) fragm. 178. 3) N. A. V 34.
4) N. A. II 4. 5) N. A. IV 41. 6) V. H. V 6.
7) N. A. III 47. fin.

majores, praesertim Graecos, summo humanarum divinarumque rerum studio et amore impleverant. Nam religionis bona philosophia exstincta erant et philosophia, ut tunc erat sibi ipsi superstes, nemini satisfacere poterat. Ita factum est, ut plerique, quum nihil haberent, quod sequi possent, ardenti cupidine amplecterentur quidquid superiorum rerum iis offerebatur, ut effugerent inanitatem vitae animique desperationem. Quare non modo ad pristinos cultus veterumque deorum superstitiosam religionem reditum est, sed undique externi cultus arcessebantur et mysteria arcanaeque religiones fere omnes obstringebant, quibus cum rebus pietas se conjungebat non minus immodica, quam antea impietas fuerat. Qui quamquam communis erat morbus totius aetatis, tamen Aelianus incredibili modo eminet suprema superstitione, veterum deorum stupida religione, caeca ira atque odio omnium, qui res divinas negligentia vel dubitatione afficiant.

Superstitiosae credulitatis exempla primo aspectu legenti occurrunt. Persuasum sibi habet portenta ac prodigia saepe a diis mitti ad deterrendos homines ab impiis inceptis[1]) vel ad indicandas futuras calamitates[2]), quae omnia semper eventum habere putat[3]). Raro fit, ut dubitet de portento aliquo; potius miraculis maxime incredibilibus plenam habet fidem[4]). Etiam antiquas deorum heroumque fabulas plena cum fide et legit et refert[5]). Summa autem religione verecundia fide omnia amplectitur, quae pertinent ad naturam deorum. De diis arcanisque naturae ne investigare quidem philosophos eum concedere supra dictum est. Quum credat mundum «*creatoris sapientia*» et «*voluntate judicioque dei*»[6]) regi, non modo eos summa cum detestatione persequitur, qui deos esse negant, sed etiam omni quaestione relicta fidem haberi vult et tacitam venerationem tribui omni documento potentiae superioris. Quam vim superiorem et arcanam quum videat apparere in tota natura, praesertim in secretis animalium

---

[1]) V. H. VI 9. [2]) V. H. XII 57. [3]) V. H. XIII 3. II. 17.
[4]) V. H. XIII 20. N. A. III 23. VI 14. XVII 13. 37.
[5]) V. H. I 24. III 32. 40. VII 16. VIII 18. N. A. III 37.
[6]) fragm. 61.

virtutibus, credit in tota natura et animata et inanima esse aliquid divini et veneratione digni. Hoc maxime elucet ex eo, quod de dracone narrat, in quo non modo humanam vocem, sed etiam «*genium*» («δαίμων») esse dicit[1]), qui beneficiis ab homine acceptis divina quadam potentia varia fortunae dona in illum vertat. Draco efficere potuit, ut homo in venatione multam praedam adipisceretur, ut statura major, forma pulchrior et ab omnibus dilectus fieret. «*Per genium,* inquit[1]), *opibus augeri Pindus coeptus et in dies progressus est ad res secundiores*». Etiam divinationem, quam multis in animalibus esse putat[2]), imprimis draconi attribuit. «*Proprium erat draconum etiam divinatio*», id quod demonstrare conatur narratione draconis Lanuvini, qui utrum virgines sint altrices suae an non sint divinasse dicebatur, quam narrationem his verbis finit: «*Ita probare volo draconis divinationem*» [3]). Divinam draconis potentiam demonstrare vult subita ejus hominis morte, qui invito dracone edentem eum spectaverit. «*Illi,* inquit[4]), *malo fuit, quod desideratum viderat, nam insanus factus est et professus id quod aspexerat seque peccasse voce privatus est et brevi post collapsus animum efflavit*». Quam narrationem his verbis aperit: «*Homerus dicit* χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς. *Sed draco quoque sanctissimus honoribus affectus aliquid divini habet, neque utile est eum spectare*». Non utile esse deos vel divinarum rerum quidquam spectare putat eadem de causa, qua id, quod in natura arcanum secretumque sit, ab investigatione procul habendum esse censet. Quum animus humanus idoneus non sit «*ad causas incertarum neque opinabilium rerum indicandas*» [5]) neque, si has causas quaerat ad finem pervenire possit[6]), deorum consilio hoc fieri putandum est, cui officere impium est. Homini data est mens, ut vitia vitet, sequatur virtutes, animalibus mente carentibus multae virtutes tributae sunt, quibus homines carent. Quia homines mente sua saepe ad vitia sceleraque perducuntur, animalibus peccandi potestas

---

[1]) N. A. X 48. [2]) N. A. XI 2. 19. VI 16. VII 8.
[3]) N. A. XI 16. [4]) N. A. XI 17. [5]) N. A. VI 60.
[6]) N. A. VIII 28.

non est, nisi ad communem salutem «*animalia diis dilecta*» sunt. Quum saepe animalia quaedam alicui deo cara esse dicit, tum maxime apparet haec sententia in eo, quod narrat de Gelonte Syracusano, quem lupum secutum e domo corruente servatum esse contendit. «*Hoc quidem,* inquit[1]), *mirum est lupum non interficere sed servare hominem, quum dii haud negligant per animalia mente carentia . . . . . imminenti periculo hunc eripere. Sed proprium est animalium diligi a diis*». Illud daemonium, quod in dracone aliisque animalibus a diis dilectis cum divina quadam potestate conjunctum latere dicit, aequo modo in homine esse putare non videtur. Certe quo uno loco[2]) talis genii, quem se habere Socrates contenderat, mentionem facit, neque fidem neque dubitationem ostendit; tamen Socratem id contendisse ita dicit, ut magis Socratis quam suam ipsius sententiam proferre videatur, quod quidem cum tota ejus de diis opinione melius consentit, quam si hominibus aliquid divini tribuere videretur. Nam quantae impietatis esse censeat homini divinam originem venerationem potestatem attribuere patet ex ira atque detestatione, qua tales conatus refert. Quod Demades Atheniensis civibus persuadere voluit, ut plebiscito Alexandrum «*deum tertium decimum*» declararent, «*immodicam impietatem*» fuisse[3]), quod ipse Alexander Graecis imperavit, ut deum se haberent, «*ridiculum*» esse dicit[4]).

Efficitur igitur ex eo, quod cum Stoicis Aelianus deos tota in natura omnibusque in rebus et animalibus latere putat, quam habeat opinionem de deorum potentia. Eadem autem ex re aliquid gravius elucet, quod nusquam aperte dicit: sententia ejus de summa vi mundique origine. Quum in ipsis rebus, non extra naturam deos esse censeat, mundum creatum esse et regi non a deis, ne a Jove quidem, sed a superiore aliquo opinetur oportet. Ne pristinorum quidem deorum quemquam creatorem mundi habet, sed ab initio deos cum natura conjunctos et potentiae cuidam superiori subjectos fuisse existimat. Certi quidquam de hac summa vi non dicit,

---

[1]) N. A. XIII 1. [2]) V. H. VIII 1. [3]) V. H. V 12.
[4]) V. H. II 19.

quum etiam magis deis arcanisque naturae ab impia investigatione illa procul habenda esse ei videatur; quamobrem nulla nisi pavida et subtili mentione illam religiosissima et sanctissima veneratione dignam attingere audet duobus locis, qui conjungendi esse inter se videntur. «*Plato*, inquit[1]), *qui certe me sapientior est, Jovi quoque consiliorum auctorem* (σύμβουλον) *esse dicit; quis autem et quo modo sit, apud illum cognoscamus*». Ipse igitur Aelianus assentitur esse aliquem Jove majorem, id quod etiam magis illustratur iis verbis, quibus argumentatur de amore draconis et puellae. Hic enim illas vel humanas vel divinas virtutes cogitationes consilia, quae saepe animalibus esse multis exemplis probare conatur Aelianus, non a diis ipsis neque a natura, sed a vi diis superiore animalibus data esse expressis verbis dicit[2]). «*Itaque Jovis ipsius ceterorumque deorum dominus* (ἄρχων) *ne animalia quidem neglegit, sed quomodo se gerat erga ea et hac et aliis rebus demonstratur*». Quibus duobus locis efficitur neque a Jove ceterisve diis neque potentia quadam inanima creatum esse mundum putare Aelianum. Nam et is, qui ἄρχων et σύμβουλος Jovis est, creator mundi sit oportet, et cui cura sapientiaque attribuuntur[3]), vis naturae inanima esse non potest. Ergo, quum plures Jove superiores esse non possint, ille ἄρχων et σύμβουλος idem est; accedit quod Plato, quem Aelianus in eo, quod ad σύμβουλον pertinet, sequitur, supra deos nihil aliud posuit, nisi δημιουργόν, quare hic idem habendus est, cui summam potentiam in natura et inter deos Aelianus tribuit. Hic ejus opinione mundum creavit totamque naturam benigne sapienterque ita instituit, ut inter singulos deos divisa omnibus in partibus his impleta sit, ita ut non sejuncti sint dii a natura neque naturae leges impedire vel mutare possint. Itaque quum Aelianus naturae ipsi mentem consiliumque adscribere videtur[4]), et dii in natura latentes intraque naturae leges regentes et ille summus δημιουργός intelligendi sunt; hunc enim ipsum religione permotus numquam nominat[5]).

---

[1]) V. H. XII 25. [2]) N. A. VI 17. [3]) fragm. 61.

[4]) N. A. II 14. III 23. IV 41. VI 59. IX 5. 30.

[5]) N. A. XII 32: «Talis ultio hominis necati etiam animalibus mente

Summus deorum, sed non creator dominus rector totius naturae Jupiter est. Ceterorum deorum quisque in certa naturae parte dominatur eoque major est singulorum potentia et honor, quo magis ad salutem vel ad perniciem potentes sunt eae naturae vires, quibus quisque praeest. In sua quisque parte potestatem habet naturae viribus utendi ad puniendos et juvandos homines, quamobrem nulli honor negandus est, negatus semper punitur. Ut Venus Aspasiam pulchritudine donare[1]), Proeti filias lasciva libidine implere[2]), Bacchus mulieres furore insano incendere, Neptunus terrae motu Spartam diruere[3]) potuit. Itaque omnes deos fere aequa verecundia honoratur Aelianus neque ulli minorem religionem tribuendam esse censet neque minus dictis deorum fidem derogare impium esse putat. Summae laudi pendit barbaris, quod inter eos non sint qui deos esse negent. Omnes res, quibus pietatem barbari demonstrant, ita enumerat[4]), ut his rebus ipsum assentiri omnino eluceat: nos diis curae esse, avibus ominibus intestinis futuras res praedicere deos, ex astris somniisque saepe futurum tempus cognosci. Hanc opinionem illustrat, quum morituro in somnio novem virgines e domo ejus exeuntes quaerenti dixisse narret sibi diutius manendum non esse; paullo post illum virum mortuum esse. «*Nonne,* inquit[5]), *o Epicure, fuerunt apud Philemonem novem Musae, quae quum ille ultimam fato destinatam viam iturus esset, discesserunt? Deos enim minime decet spectare homines mortuos, etiamsi carissimi sunt . . . . . Tu autem dicis nos iis curae non esse, o insipiens*»!

Non modo nos curae esse diis, sed etiam nullum nostrum facinus occultum iis esse nullumque praemio vel poena carere sibi persuasum habet Aelianus. «*Dii,* inquit[6]), *honestos adjuvant et honorantur — non minus Superi quam Inferi.*» — «*Testatur deus omnino nihil sibi occultum esse posse*»[7]). Itaque

---

carentibus a natura constituta est divina providentia, quod quidem ego memini; hoc dixi ad docendum eum, qui intelligat».

[1]) V. H. XII 1. [2]) V. H. III 42. [3]) V. H. IV 7.

[4]) V. H. II 31. [5]) fragm. 11. [6]) fragm. 63.

[7]) fragm. 238.

multa exempla affert virtutum a diis praemiis affectarum et scelerum portentose vindicatorum, quae hominibus adhortationi et formidini esse vult[1]). Philonomus et Callias Catanenses, quum reliquis opibus neglectis patres ex igne Aetnaeo servarent, «*gratiam divinitus acceperunt*»[2]). Ciconiae pietatis praemium accipiunt, quum aetate provectae in hominum formam mutatae Fortunatas Insulas incolant. «*Quoniam,* inquit[3]), *dei hominum genus aliquod pium et sacrum ibi praestare volunt, quum alibi terrarum tale genus vivere non possit*». Summum fere honorem potentiamque et juvandi et perdendi attribuit Aesculapio, quippe qui amplissime in natura dominetur. Nam quidquid ad valetudinem corporis pertinet, ei subjectum est, neque quisquam morbo liberari potest nisi ejus auxilio. Quamobrem qui morbi mire sanati ad aures Aeliani pervenerunt, pietatis ac religionis praemium ab hoc deo datum esse censet, quem «θεῶν φιλανθρωπότατον» nominat[4]). Quanto deorum potestatem natura ipsa ab illis recta pluris aestimet vimque sanandi minus in ipsis medicamentis quam in dei huic naturae parti praepositi voluntate positam esse censeat, apparet e religione, qua Aesculapium propter ipsius et herbae alicujus sanandi vim comparatam quasi placare conatur: «*Et minime quidem,* inquit[4]), *o rex et deorum humanissime, abrotonum tuae sapientiae par volo habere; ne eo furoris veniam! Sed quoniam occurrit mihi, tui beneficii sanationisque mirae recordatus sum. Neque dubitandum est, quin haec quoque herba tuum sit donum*». Qua re denuo demonstratur potentiam deorum, etiamsi conjuncti sint cum natura neque eas leges, quas creator imposuit naturae, transgredi possint, tamen natura inanima majorem esse, neque Aelianum, si naturae divinam vim ac venerationem tribuat, res inanimas ut deos colere. Naturae potius viribus a creatore institutis certo ordine dii praesunt, qui has vires in suam quisque partem adhibent ad vitam hominum bene justeque regendam, quem ad finem saepe animalibus utuntur, quia in his non minus quam in natura inanima arcanae potentesque vires la-

[1]) fragm. 26. 63. [2]) fragm. 2. [3]) N. A. III 23.
[4]) N. A. IX 33.

tent multaeque virtutes a creatore iis insitae sunt. Hanc ob rem animalia diis cara et dilecta esse [1]) et propter pietatem beneficia ab iis impetrare dicit [2]). Ut Aesculapius gallo alterum pedem mutilato medicatus esse dicitur [3]), qui quotidie iis, qui paeanem Aesculapii canebant, adsistebat et voce sua deum celebrabat. «*Gallus cantu celebrabat Servatorem quam maxima poterat voce et orabat, ut pedibus validum se redderet. Ille rogatum fecit et ante vesperum ambobus pedibus avis incessit*» etc. Pro beneficiis, quibus et homines et animalia dii afficiunt, nullam postulant mercedem neque sacrificia, nam iis non egent. Sed gratiam sibi haberi volunt neque ipsos neglegi, sed ut omnes in natura res, quae bono nobis sint, ab iis datas grato cum animo accipiamus. «*Dii numquam valetudinis praemium postulent neque sumant. Quid enim? Si summas res animo benigno et humanissimo vobis gratuito praebent: Solem spectare tantique dei omnipotentis radiis sine mercede uti, aquae usum, artificiosi ignis innumeras vires et auxilia quum lauta tum actuosa, spiritum ducere ejusque flatu altore uti. Volunt in his parvis rebus neque ingratos nos esse neque immemores, quum in his quoque meliores nos reddant*» [4]).

Difficile esse videtur hanc benignorum deorum piam puramque opinionem conjungere cum illo paene feroci studio, quo refert Aelianus homines propter impietatem gravissimis poenis affectos [5]). Summa detestatione impletus narrat Epicureum quendam incensum cupidine deis humanas res curae non esse demonstrandi neglecta mysteriorum religione in templum Eleusinium irrupisse, brevi post in morbum mortiferum incidisse. «*Et quae fecerit clamans dicensque et more hominum maxime impiorum augens et glorians quum animi devoti atque execrabilis efflandi cupidus esset, aegre seroque id adeptus esse* (*dicitur*)» [6]). Duo Epicuri amicos «*pessima*

---

[1]) N. A. XIII 1. [2]) N. A. III 23. [3]) fragm. 98.

[4]) fragm. 101.

[5]) Friedländer. S. 440: «Wenn die Schriften Aelians uns mit der extremsten und starrsten, in der That zelotischen heidnischen Orthodoxie bekannt machen» etc.

[6]) fragm. 10 fin.

inter omnes homines morte» oppressos esse «*mercedem impietatis»* fuisse dicit[1]) minime dolendam. Epicurum ipsum et propter mollitiem et propter impietatem gravissimis conviciis persequitur[2]). Pythagorae Ephesi tyranni scelus sacro loco commissum luem famemque inauditam effecisse narrat[3]) quem hominem «*perdere jam scelera inter homines pessima suffecissent; sed deos quoque contemnebat»*. Simili modo Himeram urbem morbo fameque invasam esse, quia Philodemus quidam «*deum negligentia affecerit* [3])»; virum quendam «*mysteriorum spectandorum cupidum de lapide delapsum mortem occubuisse*[4])», Battum Cyrenaicum «*Cereris mysteriis violatis a sacerdotibus mutilatum esse*[5])»; Sullam «*cruentatum et interfectorem»* propter Alalcomenarum templum direptum «*vivum tumuisse malis bestiolis vel vermibus vel pediculis»* [6]); Didymaeos Apollinis templo barbaris tradito «*divinae providentiae consilio»* ab Alexandro necatos esse[7]); multa hujusmodi.

Semper gravissimas maximeque meritas poenas non inter homines scelera sed impietatem sequi Aelianus vult probare. Nam non nisi summa omnium deorum veneratione, quia tota natura ab iis regatur iisque impleatur, homines malis liberari, bonis donari posse credit. Quamobrem si quis deos esse vel deis res humanas curae esse negat, scelus inexpiabile summaque deorum ultione dignum hoc habet, quam in mortibus foedis, in morbis atrocibus, in urbibus deletis, in variis portentis apparere putat. Vitia sunt animalibus, vitia et scelera ut desint hominibus fieri non potest; pertinent enim ad rerum absolutionem: Sed negatos contemptosque deos, ut ita dicam, peccatum contra spiritum sanctum habet. Tanta est ejus ipsius religio, ut antiquarum fabularum mentione facta ne quid insit falsi timeat, quod deum offendere possit, quamobrem numquam omittit addere quidquam ad placandum deum [8]). Ut postquam rettulit id, quod credebatur de corvo siti punito ob mandatum Apollinis neglectum, «*Hoc*, inquit [9]), *fabulae simile est*; *sit igitur*

---

[1]) fragm. 39. [2]) fragm. 48. 49. [3]) fragm. 40.
[4]) fragm. 43. [5]) fragm. 44. [6]) fragm. 53. [7]) fragm. 54.
[8]) N. A. VI 51. [9]) N. A. I 47.

dictum cum dei verecundia». Fabulae de Nerito a Venere vel a Sole Neptunoque aemulantibus amato, quam ad lectorem delectandum se implexisse dicit [1]), hanc excusationem addit: «*Si quid conjiciendum sit in rebus obscuris, Neptunus et Sol aemuli habeantur, ... Hic finis est duarum fabularum. Mihi quidem dii propitii sint meaque verba erga eos bona! Sin autem in fabulis aliquid audacius sit, harum est culpa».* Semper veretur multum versari in fabulis, quae incerti aliquid diis tribuant. Galen veneficam a Hecate irata in mustelam mutatam esse narrat [2]); protinus «*dea sit mihi*, inquit, *propitia; fabulas fabularumque narrationem aliis relinquo».* Omnino linguam coërcendam esse, quum valde propensa sit ad malum, et praesertim in rebus divinis silentium saepe plus honoris habere non semel probat [3]). Linguae continentiam tanti aestimare deos dicit [4]), ut «*propter eam dii praeferant Spartam omnibus Atheniensium aris et templis et simulacris et hecatombis».* Quia hac linguae continentia carent, «*levi animo libidinososque nugatores*» Athenienses esse dicit, quos deficere «*pietatem veram.*» Nam superbum et insolentem sermonem ita non inultum manere Aelianus censet, ut ad hunc puniendum «*Nemesim*» institutam esse contendat. Certe alia vitia sceleraque hanc persequi et ulcisci nusquam legimus, sed appellatur «*Nemesis custodiens, quae castigat mores superbos et insolentes*» [5]), «*ultrix verborum immodicorum et effrenatorum*» [6]), *ultrix gloriosorum hominum, quos cum poena sequitur*» [7]), «*Nemesis, quae obsistit superbis* [8]).» Omnium aliorum scelerum vindicatio est penes «*Justitiam*» («Δίκη»), quam «*natura insomnem divinam inexhaustam omnia videntem*» appellat [9]). Ea quoque est «*ultrix*» [10]), ut Nemesis, non tamen superbiae, sed sceleris. Itaque quum Clearchus, Heracleae tyrannus, eo impietatis progressus esset, ut «*deorum honoribus frui vellet,*

---

[1]) N. A. XIV 28. [2]) N. A. XV 41.
[3]) fragm. 55. N. A. XI 17. IX 35. [4]) fragm. 267.
[5]) fragm. 160. [6]) fragm. 228. [7]) fragm. 232.
[8]) fragm. 233. [9]) fragm. 28. [10]) fragm. 69.

vestibus deorum simulacris similibus uteretur, filio suo nomen Fulmini daret, primum J u s t i t i a *eum interfecit, deinde Chionis manus»* etc. [1]). Quum Justitiam «*j u x t a J o v e m sedere et optimorum consiliorum participem»* esse dicat [2]), inter ceteros deos eam habuisse Aelianus non putandus est, sed referenda est haec Justitia ad eum, quem Jovis auctorem nominat, id est ad summum animum mundi creatorem et rectorem. In hoc ipso est J u s t i t i a, quae scelera vindicat, N e m e s i s, quae superbiam opprimit, P r o v i d e n t i a, quae summam habet omnium deorum hominum rerum custodiam. Nam «*provindentiae*» quoque aliquantum divinae mentis et potentiae attribuit Aelianus, qua D e u m uti, ut cognoscat, quo tempore adhibenda sit Nemesis vel Justitia. «*Putabant se effugisse* (scil. Didymaei aede Apollinis barbaris tradita) *non modo Milesios, sed etiam Justitiam; Providentia vero dei non dormit»* [3]). — *Pueriliores sunt pueris, qui dicant deos* (τὸ θεῖον) *non observare has res»* [4]). Quibus in rebus non negligendum est Aelianum, quotiescunque non deum certum sed summam divinam potentiam velit significare, verbo θ ε ῖ ο ν uti, id quod demonstrat eum distinguere inter deos, quibus alicujus naturae partis potestas attributa sit, et illam vim superiorem, quae totum mundum per Providentiam Justitiam Nemesim (Πρόνοια, Δίκη, Νέμεσις) observet atque regat. Qui Providentiam esse negant, non minus vituperat quam qui deos contemnunt et, ut solet, exemplis Providentiae vim probare conatur. «*Quid vos dicitis de his rebus, qui providentiam sibi non constare* (ἀλᾶσθαι) *contenditis»* [5])? — «*Quid ad haec dicunt qui tollant* (ἐξαίροντες) *providentiam»* [6])? Maxime tribus his adjutricibus τὸ θεῖον vindicat in eos, qui majores quam pro humano modo se reddere conentur vel nimiam potestatem sibi sumant, nam «*Non probat deus eos, qui modum obterunt pedibus et petunt id, quod est supra eos, neque turres altas»* [7]). Quam culpam etiam ii in se admittunt, qui consilio deorum se obnoxios inferioresque esse aliqua in re obliviscantur et quasi putent id malum, quo vacent in praesens, numquam

---

[1]) fragm. 86. [2]) fragm. 25. [3]) fragm. 54. [4]) fragm. 29.
[5]) fragm. 31. [6]) fragm. 32. [7]) fragm. 174.

sibi accidere posse. Quam impiam opinionem iis fuisse putat Aelianus, qui quum civibus suis leges imponerent, obliviscerentur earundem legum poenis se ipsos affici posse. Quare maxime justa poena complures viros afflictos esse dicit, quum legibus ab ipsis constitutis primi punirentur. Zaleucus Locrensis edixerat, ut adultero uterque oculus effoderetur. «*Quod autem,* inquit Aelianus [1]), *haud exspectarat, id contra spem atque opinionem deus* (δαίμων) *ei imposuit; nam filius ejus in adulterio comprehensus puniendus erat patris lege*» etc. — Diopeithes Atheniensis legem tulerat, ut qui Urbis incola in Piraeo maneret supplicio afficeretur, quam poenam ipse aliquando invitus retardatus subiit. «*Et secundum Aeschyli verba suis retibus incidens et obstrictus laqueis, quos aliis pararat, jure legis poenam subiit:* τεύχων ὥς ἑτέρῳ τις ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει. *Sic poenae graves saepe vertuntur in eos, a quibus excogitatae sunt, et, quod aliis patiendum constituerunt, ipsi patiuntur*» [2]). Periclem lege data, ne civitatem haberet quin ex civibus natus esset, «*poenam hujus legis non effugisse*» dicit [3]), quum legitimi ejus filii morerentur. Constat igitur Aelianum non modo omnes deos patrios, quorum cultus antiquitus traditi erant, summa fide religioneque amplexum esse, sed etiam superiorem quandam potentiam agnovisse, quae mundum a se creatum atque institutum maxima sapientia benignitate justitia regat. Quod attinet ad peregrinorum deorum cultum illo tempore maxime vulgatum, etiam in hac re Aelianus tempori serviebat et ita quidem, ut iis numinibus, quae amplissimam habebant religionem, haud minorem attribueret venerationem, quam Jovi patriisque diis. Ochum non minus quam Cambysem Api interfecto gravi poena «*sacrilegii*» afflictos esse dicit [4]); *Isim* efficere, ut qui aedem ejus ineant a scorpionibus tuti sint [5]); imprimis autem *Serapim* fere eadem laude effert, qua Aesculapium, quia medendi arte multos juverit [6]). Quum eques quidam a deo petivisset, ut equum suum altero oculo caecum sanaret

[1]) V. H. XIII 23. [2]) Fragm. 22. [3]) V. H. VI 10.
[4]) N. A. X 28. V. H. VI 8. fragm. 37. [5]) N. A. X 23.
[6]) N. A. XI 31. 32. 34. 35. fragm. 106.

«*deus non neglegit neque aspernatur animali mente voceque carenti mederi, quamvis tantus deus*» etc.[1]). Haec opinio Aeliani ita non est mira, ut e Stoica ejus philosophia necessario efficiatur. Nam qui et a singulis nationibus populisque ad totius generis humani complexum animo transgressus sit, totamque naturam diis divinisque viribus impletam esse censeat, facere non potest quin peregrinos deos eadem qua patrios religione afficiat.

Restat, ut brevibus explicetur Aeliani sententia de morte ac de vita, quae post hanc futura sit. Mortem neque timere neque malum habere eum supra[2]) demonstratum est. Quum in hac quoque re cum Stoicis consentiat, qui animum humanum et omnem in natura vivendi vim ex universa mente divina delibata esse putant, efficitur, ut animum cum corpore interire opinari non possit. Potius animos post corporis interitum ab aliis ad alios transire et hac in re priorum factorum aut praemium aut poenam accipere censet. Quam sententiam etsi de hominibus expressis verbis non profert, quia hujus rei indagationem etiam magis quam deorum veretur, tamen satis elucet ex eo, quod contendit de animalibus quibusdam. Nam ciconias post mortem in humanam formam mutatas praemium pietatis accipere dicit[3]). Etiam hominis animum post mortem mentis vocisque potentem esse et aliis apparere posse credit[4]) et mortuorum animos diis inferis curae esse probare vult his verbis[5]): «*Bonos viros haud negligunt dii* (τὸ θεῖον), *quum ad quietem et postremum in portum pervenerunt*».


Certe igitur censet Aelianus nobis probe pieque vitam agendam esse, quia et vivi a diis observemur et mortui factorum mercedem accipiamus. Quam sententiam ipse praeclare his verbis[6]) eloquitur: «*Adjuvant dii bonos coluntque et Superi et Inferi. Non mihi videtur hoc investigare. Sit autem haec quoque adhortatio honestae vitae, ut adjutores eos habeamus et hic et illic, quum viam fato destinatam necessariamque fecerimus*».

---

[1]) fragm. 106. [2]) vid. p. 46. [3]) N. A. III 23.
[4]) fragm. 81. [5]) fragm. 79. [6]) fragm. 63.

VITA.

Natus ego sum Carolus Aemilius Augustus Reinholdus Schoener a. d. VIII. Id. Nov. anni MDCCCIL Erfurtii patre Reinholdo, quaestore militari, matre Ludovica e gente Moehring, cujus praematura morte mihi ereptae vice summa cum pietate fungitur diuque fungatur altera patris uxor Friderica e gente Benecke. Fidem profiteor evangelicam. Postquam pater munere in republica administranda suscepto Parthenopolim sedem ac domicilium transtulit, illa in urbe primis elementis in ludo litterario imbutus ab anno h. s. LVIII usque ad annum LXVII gymnasium regium cum aede cathedrali conjunctum frequentavi regentibus Wiggerto Horkelio Wicherto summis viris, praeter quos maximam habeo gratiam Carolo Rehdantz, optimo praeceptori. Anno aetatis XVIII, quum patre publice aliud in munus transmisso Vratislaviam me contulissem, in Gymnasii Magdalenaei primum ordinem receptus sum auspiciis Caroli Schoenborn summi viri, quo ordine biennio percurso testimonium maturitatis legitime nactus m. Aprili anni h. s. LXIX hanc adii Universitatem Viadrinam Raebigero v. ill. tunc fasces tenente. Apud philosophorum facultatem nomen rite professus docentes audivi vv. ill. Elvenich Hertz Junkmann Karow Neumann Reifferscheid Rossbach Rueckert Stenzler Zupitza. Per duo semestria, interruptas quo anno stipendium militare merui, interfui consessibus seminarii regii philol. regentibus Rossbachio et Reifferscheidio vv. ill. Omnium eorum, qui Vratislaviae, in altera patria, de me studiisque meis bene meriti sunt, plurimum debeo quum gymnasii praeceptoribus Schoenbornio et Beinertio tum Hertzio Reifferscheidio Rossbachio vv. ill., qui non modo doctrina splendidissima sed etiam privatis curis me juverunt. Quare summas iis gratias ago neque umquam pio gratoque animo eorum memor esse desinam.



THESES.

I. Librum, qui inscriptus est 'Αγροικικαὶ 'Επιστολαί, Aeliano tribui quum usus orationis tum sententiae vetant.

II. Quae a Suida laudantur Aeliani Περὶ Προνοίας et Περὶ Θείων 'Εναργειῶν neque unum idemque neque diversa scripta sunt, sed illud prius memoratum pars est alterius.

III. Aelian. Var. Hist. IV 2 ita scripserim: „οὐ δὲ ἄρα ἐστὶ σεμνὸν οἰκίαν αὐξῆσαι καὶ πλοῦτον, ἀλλὰ γὰρ τέχνην", deletis vocabulis μόνον post οὐ et καὶ post γάρ.

IV. Agricolarum epistolarum ('Αγροικ. 'Επιστ.), quae vocantur Aeliani, in tertia pro προσελούμενον legendum puto ἀποστερούμενον.

V. Lys. XIII 15. pro tradita lectione „εἰρήνην λεγομένην" scripserim „εἰρήνην δεδομένην".

